

ΓΕΝΕΑΛΟΓΙΚΟΝ
ROMANVM
DE FAMILIIS
PRAECIPVIS REGVM, PRINCIPVM, CAESARVM,
IMPERATORVM, CONSVLVM ITEM, ALIORVMQVE
Magiſtratuum ac procerum Imperii Romani, ab V.C.
vſq; ad hæc tempora præſentia.

OPVS COLLECTVM EX VAriis hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, veteribus ac recentibus;
Opera & fide

ELIÆ REVSNERI LEORINI SILESII.

Genealogici huius ordo octaua abhinc pagina eſt indicatus: ſingularum autem familiarum Index alphabeticus ad calcem libri poſitus.

[redacted] . 1594.

FRANCOFVRDI

Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioannem Aubrium,
MDLXXXIX.

Cum S. Cæſareæ Maieſtatis priuilegio.



AD ILLVSTRISS. CELSISSIMVMQVE PRINCIPEM AC DOMINVM,

D. IOACHIMVM FRIDERICVM, ARCHIEPISCOPATVS

MAGDEBVRGENSIS ADMINISTRATOREM, PRIMATEM Germaniæ, Marchionem Brandeburgicum, Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ, Silesiæ Ducem, Burggrauium Noribergensem, Principem Optimum atque Clementissimum,

NICOLAI REVSNERI I. C. PRÆFATIO.



Vi vitam memoriæ esse dixit Historiam, IOACHIME FRIDERICE, Princeps Illustrißime: & verè dixisse, & rectè sensisse ille mihi videtur. Ea siquidem vt nuncia vetustatis & testis temporum; ita custos memoriæ, & lux veritatis est optima: quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus, & inprimis regum ac principum magnorum res gestas, cum temporum ac locorum ordine & descriptione, ceu viua quadam pictura, ante oculos exponit: vt speculum aliquod & quasi theatrum esse incipiat totius vitæ humanæ, quod ad omnes mundi ætates & tempora congruit: in quo vt natura hominum eadem manet: sic ingenia, mores, actiones, occasiones, consilia, euentúsque rerum, perpetuò durant: personæ solummodò, & actores fabulæ singulis ætatibus noui succedunt. Sed vitam quidem memoriæ haud scio an quicquam conseruet magis, quàm familiarum illustrium propagatio: quæ pars historiæ præcipua est, &, quia ad gentilitates pertinet, ex eo γενεαλογικὴ *nominatur. Quæ sanè pars doctrinæ non solum à Græcis, sed etiam à Romanis cumprimis fuit exculta: vt ex Pausaniæ Arcadicis apparet: adeoq; primus è Romanis scriptoribus, quorum opera supersunt, M. Varro fuisse existimatur, qui de Familiis Troianis opus conscripsit: in eoq; septingentorum illu-*

strium nomina & imagines inseruit, auctore Plinio. Sic & Pomponius Atticus, qui M. Tullii Ciceronis familiaris fuit, plurimum in ea re studii & operæ posuisse scribitur: quem Cornelius Nepos, qui de vita eius scripsit, summum fuisse dicit moris maiorum imitatorem, & amatorem antiquitatis: quam adeò diligenter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine exposuerit, quo Magistratus ornauit. Siquidem nulla lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populo Romano, quæ non in eo suo tempore sit notata. Nam &, quod difficilimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, vt ex eo clarorum virorum propagines possent cognosci. Fecit hoc idem separatim in aliis libris: vt M. Bruti rogatu Iuniam familiam à stirpe ad suam ætatem ordine enumerauerit: notans, qui à quo ortus, quos honores quibúsque temporibus cepisset. Pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii & Fabii Maximi, de Corneliorum, Fabiorúmque & Æmiliorum: quibus libris nihil potuisse dicit esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Meminit quoque eiusdem operis M. Tullius Cicero in Oratore suo: quem rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, maximè Romanæ ciuitatis, ac præterea imperiosorum populorum & regum illustrium tenere vult: eumq́ laborē T. Attici familiaris sui leuasse ait laborem: qui conseruatis notatisq́ temporibus, nihil cum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit. Quam ob causam non solum apud alios proceres Romanos, sed inprimis etiam apud Augustum Cæsarem in tanta gratia & auctoritate fuit, vt nullum is temerè diem intermitteret, quo non ad Atticum scriberet; vt hoc pacto de antiquitate aliquid ab eo requireret. Itaque & hortatu eius postea Messala iam senex volumina aliquot de familiis condidit: mansitq́ tandem Romæ commune quoddam & perpetuum in familiarum memoria conseruanda studium, non solùm penes alios viros claros & doctos, sed inprimis penes Imperatores Romanos. Nam & apud eos imagines fuerunt in atriis, quæ spectarentur; non signa externorum artificum, nec æra aut marmora: expreßi cera vultus singulis disponebantur armariis: vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: sempérque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus: stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas: tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum: aliæ foris, & circa limina, animorum ingentium imagines erant affixis hostium spoliis: quæ nec emptori refringere liceret: triumphabántque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat

hæc

hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidiè imbellem dominum intrare in alienum triumphum: sicut omnia hæc isto modo pulcrè & eleganter memorat C. Plinius.

Cæterùm hæc opera veterum familiarum pleraque interciderunt iniuria temporum: adeò nihil est in rebus humanis, quod sibi constet perpetuò, omnésque artes & res omnes modò augeri, modò minui, nec easdem in perpetuo statu consistere communis testatur experientia: cum & lapides, & metalla, quæ omnium durißima sunt, vt vix ea frangere queat vis hominum, hæc tamen conficiat & consumat vetustas. Meritò igitur laudanda & inprimis commendanda est eorum opera & industria, qui ea quæ hinc inde sparsa apud alios scriptores, & longè latéque diffusa sunt, vt multorum scientiam effugiant, in vnum locum congregant, & vno quasi intuitu spectanda cupidis lectoribus proponunt: eodémque pacto non modò veteris illius, sed etiam sequentis æui memoriam, quantum in se est, conseruare, & ad posteros propagare student. Inter quos laudem sanè meretur præcipuam Illustris heros RICHARDVS STREINIVS *Baro Schuarcenauius; vir omni laude virtutis & doctrinæ præstantißimus: cuius extant Stemmata Gentium & familiarum Romanarum, ante aliquot annos literis mandata, atque publicata: in quibus non solùm illustrium virorum à prima vrbis origine familias atque ætates, sed etiam magistratus & honores, eorúmque res gestas ex veterum scriptis collectas, vno volumine est complexus; in eoq́ Romanæ Reip. ceu imaginem quandam ob oculos nobis posuit: vt nihil eo opere poßit esse luculentius aut locupletius. Quod equidem volumen cùm annis superioribus in manibus haberem, & subinde in lectione historiæ Romanæ, quantum subcesiuis horis facere tunc integrum esset, locupletandi studio, quædam annotarem, quæ cum his optimè conuenire arbitrarer: fui auctor & hortator fratri meo germano* ELIÆ REVSNERO, *domi meæ tunc commodè versanti, vt scriptores omnes Romanos de integro perlegeret; &, si quæ alia, quæ ad perfectionem istius operis pertinerent, in his animaduerteret, paßim suis aßignata locis, in vnum deinde volumen coniiceret; ac præterea Romanorum Principum ac Imperatorum, quotquot à C. Iulio Cæsare vsque ad Rudolphum II. Austriacum vixêre, stemmata & familias adiungeret: omnino ratus fore, vt opera ista nauata non planè ingrata futura esset studiosis historiæ Romanæ: qua haud scio an vlla alia præter sacram historiam, sit lectio vberior, aut cognitio fructuosior.*

Communibus igitur auspiciis, tam meis quam fraternis, opus hoc isto, quo apparet, modo adornatum in publicum emissurus, & ex vmbraculis in solem tandem educturus, cum patronum ei allegere cuperem: non alienum me facturum putaui, si nomini tuo inclyto, IOACHIME FRIDERICE, *Princeps illustrissime, nuncuparem: cuius & incredibilis humanitas, & singularis probitas, & eximia ad colendam virtutem, omnémque liberalem doctrinam animi propensio, omnium literis & linguis iampridē celebrata esset; & à quo omnia honesta studia omnésque liberales disciplinæ, adeoq́; virtus ipsa & religio ornamenta sua iure quodam suo repetere videretur. Quæ sanè laus, vt magna & eximia, ita propria est gentis ac familiæ tuæ illustrissimæ: eáque vt ita sit perpetua, ab omnibus optari meritò debet: quibus modò curæ est perpetua Reipub. literariæ felicitas. Quamobrem vt operi huic nostro in publicum sese committenti, nimis fortassis audacter & temerè, benignitas tua & clementia quasi propitium numen adsit; quo faciliùs in eum, ad quem contendit, portum, secundo cursu, tuæ bonitatis aura prosequente, peruehatur, humiliter, vt decet, obnixéque rogamus. Sic enim futurum est, ne qua prorsus in difficultate, aut ne quo vnquam in scopulo nostra hæreat industria: maximè in altero opere Genealogico, quod omnium regnorum familias, ac præsertim Regum & principum Germanorum stirpes & propagines continet, propediem expediendo: quod & ipsum breui fore speramus: neque vllo modo dubitamus, quin Cels. Tua interim hoc, quod adest, tenue illud quidem & exiguum munus, sed tamen argumentum ac pignus nostræ erga hanc fidei atque obseruantiæ, serena fronte, & æquo benignóque animo sit acceptura. Ienæ ex Academia Salana, Calendis Februarii anno Pub. Sal.*

CIↃ. IↃ. XIC.

CONTINENTVR HOC VOLVMINE
FAMILIÆ

REGVM





REGVM ROMANORVM FAMILIAE.

I.

ROMVLI.



ÆNEAS, Anchisæ F. ad quem materna Romuli prosapia (incerto siquidem patre natus est) refertur, floruit inter regni Troiani principes: cuius interitum iam imminentem prospiciens, cum patre aliisque sociis fuga sibi consuluit: variisque terrarum plagis peragratis, in Latium, quod est pars Italiæ, tandem traiecit ad Regem Latinum: à quo finib. donatus, promptam ipsi in bello contra Rutulos nauauit operam. Quo ex animi sententia confecto, LAVINIAM Latini F. vxorem duxit: deq; eius nomine Lauinium vrbem condidit. Quæ res bellum ipsi nouum atq; exitium conflauit. Etenim Turno coniugium hoc, quod ipse sperasset, exagitanti odiosiùs, hostiliter occurrens; victoriam quidem de hoste reportauit, sed socerum in acie amisit. Triennio elapso, iterum cum Turnò, bellum Hetruscorum auxiliis instaurante, congressus: quum ad noctem vsque dubio marte esset pugnatum: ita inter tumultum periit, vt etiam cadauer ipsius reperiri nequiuerit A. M. 2794. Coniuges Æneæ memorantur duæ: CREVSA Priami Troianorum Regis F. & LAVINIA.

EVRYLEON cogn. ASCANIVS & IVLVS, patris fugæ in Latium comes, & in bellis contra Rutulos & Hetruscos consors, & in regno Latinorũ successor: Mezentium & Hetruscos, qui pro victoribus se gerebant, profligauit. Abundante autẽ Lauinii multitudine, florentem atque opulentam vrbem nouercæ reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condens; à situ porrectæ in dorso vrbis, Albam longam appellauit: eóq; regni sedem collocauit. Fuit autem cum potestate annos XXXIIX.

IVLVS post patris mortem ad regnũ aspirauit: sed reiectus populi suffragio, & sacerdotii honore remuneratus, eum deinde in posteritatem suam propagauit. Ab hoc conditam & propagatam gentem Iuliam, magno auctorum consensu traditur.

ÆMYLIA matre Lauinia nata.

SYLVIVS cogn. Posthumus patre perempto natus in matris exilio, & quidem in sylua natus: ab euentu nomen accepit. Post mortem Ascanii, filio eius Iulo in successione regni prælatus, propter matrem Lauiniam: annos ei præfuit vndetriginta. Mortuus A. M. 2862. Ab hoc Albanorum Reges omnes Syluii sunt dicti.

ÆNEAS Syluius patris in Latinorum siue Albanorum regno successor, annos id tenuit XXXI.

BRITO Albione insula potitus, de suo nomine eam Britãniam denominauit: Regesque Britannorum condidit: de quibus alibi.

LATINVS Syluius Rex Latinorum A. M. 2893. nouis regni incrementis studuit, & colonias aliquot deduxit. Regnauit annos quinquaginta.

ALBA Syluius fratris in regno Albanorum successor A.M. 2944. id tenuit ann. XXXIX.

CAPETVS Sylui⁹, quẽ quidã Atym dicunt, regnauit annos XXVI.

CAPYS Syluius Rex Latinorum, cœpit A. M. 3009. vsque ad A. M. 3027. Diuersus est ab eo, quem Stephanus & Seruius Capuæ conditorem nominant.

CAPETVS siue Calpetus Syluius, regnauit annos XIII.

TIBERINVS Syluius Rex Latinorum, anno regni sui octauo, in quadam pugna cæsus, & in Albula submersus: nomen fluuio dedisse creditur, vt Tiberis vocaretur.

AGRIPPA Syluius, patri in regno Albanorum successit A. M. 3058. cui annis XLI. præfuit.

ALLADIVS siue AREMVLVS Syluius, Rex Albanorum, tyrannus crudelis & impius: tonitrua commentus, strepitus ac fragores edendo fulmineos; vt ciuibus attonitis pro deo haberetur: ad extremum diuino iudicio fulmine ictus, matura supplicia immatura ætate dissoluit A. M. 3118. quum annos regnasset vndeuiginti.

AVENTINVS Syluius Rex Latinorum, Auentino monti nomen dedit suo sepulcro A.M. 3155. Fuit cum imperio annis XXXVII.

IVLIVS proauus Iulii Proculi, qui cum Romulo commigrauit Romam.

PROCAS Syluius Albanis summa cum potestate præfuit annis XXVII. Moriens filiis, Numitori natu maiori pecunias, Amulio minori regnum reliquit.

NVMITOR Syluius regni paterni successione fratris iniuriis depulsus: eo perempto, nepotum auxiliis restitutus A.M. 3220: morte sua postea & familiam suam, & regnum Albanum terminauit.

ÆGESTVS ab Amulio patruo per insidias sublat⁹: culpa facinoris mendacio in latrones translata.

ILIA siue RHEA Syluia, per speciem honoris sacerdos Vestæ ab Amulio lecta, perpetuæq; virginitati deuota: munere eo ad quadrienniũ perfuncta, dum sacrorum causa in luco Martis aquam puram petit: stuprum auctore incerto passa, (nonnulli à Marte eam factã grauidam fingunt) gemellos peperit. Quibus expositis, quum ipsa etiam supplicio esset afficienda; Anthus, filiæ Amulii, precibus conseruata, at captiua ad mortem vsque eius detenta, à Romulo tandem liberata est. Eusebius tamen, viuam eam ab Amulio defossam, asserit.

AMVLIVS regnum, quod Numitori fratri propter ætatem debebatur, fraude occupauit A.M. 3178. & ne vindex regni ex fratris genere oriretur, filium eius cęde sustulit: filiam Vestæ sacerdotem consecrauit. A Romulo tandem & Remo, quos infantes in Tiberi submergi iusserat, adultis postea oppressus, vitam ferro amisit: quum annos regnasset XXIV.

ANTHO, domi paternæ cum Rhea Syluia enutrita, ob stuprum eam supplicio crudeli destinatam sua solius intercessione conseruauit.

ROMVLVS patre (vt ipse credi voluit) Marte furtiuo concubitu genitus: Amuliíque iussu cum fratre infans expositus: à Faustulo regii pecoris magistro in ripa fluminis Tyberis repertus: & inter pastores, ab ipsius vxore Laurentia, quæ ob vulgatum corpus Lupa dicta fuit, educatus est. Vnde illud est, quòd à quibusdam, non vulgaris auctoritatis scriptoribus, traditur: Romulum à ruma, id est ab vbere Romum primo; deinde blandiendi causa Romulum dictum: quod paruulus & lactens, vberibusque lupæ inhians, sit inuentus. Ætas vbi accreuit, seruiles despicatus operas, venationes exercuit: præ-

REMVS spurius & gemellus cum Romulo natus & expositus: communem altorem Faustulum accepit: alimenta Numitore auo clam subministrante. Virilem ętatem vbi attigit, captus à prædonibus, perductusque ad Amulium Regem, accusatur vt qui Numitoris greges abigere solitus sit. Itaque Numitori

†† donibus se hostem infestum præbuit: viqueoppressos fortiter defendit. Remo fratre, qui cum Amulii pastores contra Numitorianos propugnandos ipse quoq; susceperat, ab his capto; iámque Amulii sententia Numitori ad supplicium dedito: de sua stirpe à Faustulo edoctus, & ad vindictam inflammatus: coniuratione facta, cum fratre ex inopinato in arcem irrupit: & Amulio obtruncato; auo Numitori regnum, matri libertatem & regios honores restituit. Auo inde auctore, coloniæ deducendæ consilium iniens; ac pastorum & Albanorum turbam cum fratre ex æquo partitus: orta inter eos, cum diffidentia mutua, æmulatione, nec non de loco contentione: (Remuriam namque alter, Pallantium ipse eligebat) fratre perempto, rem solus est executus: ciuiuitatique ac ciuibus Romanis nomen dedit. Vrbis autem fundamenta iecit, Dionysio & Solino auctoribus, septimæ Olympiadis anno primo, qui est A. M. 3220. post excidium Troiæ 432. XI. Kal. Maii, die ipsis Palilibus, siue Pastorum deæ Pali sacro. Regno posthæc exornando & amplificando totus incumbens: Rempub. multis legibus atque institutis fundauit: togatâque ac militari disciplina stabiliuit: Cæninenses, Crustominos, Antemnates, & Sabinos, filiarum raptũ vlciscentes; nec non Camerinos, Fidenates, & Veientes, quos spes prædæ ad Romanum agrum populandum incitauerat; bello intra paucos dies deuicit: dirutisque vrbibus Romam transtulit: templa Ioui Feretrio, Statorique votis nuncupatis in Capitolio ritè dedicauit. Postremis regni annis propter insolentiam adeò in odium senatus venit: vt manibus illorum discerptus legatur; singulis singula frusta sinu occultata efferentibus, ne facinoris eius vestigia extarent, A. M. 3256. V. C. 37. Nonis Quinctilibus: qui dies Nonæ Caprotinæ, quòd is ad Capræ paludem exercitum recensens non comparuerit; item Populi fuga, ob consternatum repentina regis morte populum postea appellatus est. Vixit annos LV. menses nouem, dies XVI. Eum sine vxore vitam traduxisse, multi sunt qui scribunt. Liuius autem ERSILIAM Sabinam sibi despondisse prodidit: ex eâque suscepisse

** mitori traditus, vt ipse de eo pro arbitrio pœnas sumeret multis sermonibus vicissim habitis, nepos Numitoris agnitus est. Protinus ergo cũ Romulo & Faustulo, qui suppetias ipsi laturi aduenerant, in caput Amulii coniuratis: eo obtruncato, auum Numitorem Regem salutauit. Ex cuius postmodum auctoritate & subsidio, cum fratre nouæ vrbis condendæ consilium capiens: orta inter eos altercatione de loco, in turba ictus cecidit A. M. 3220. in Remuria sepultus.

PRIMAM ab natiuitatis prærogatiua sic dictam, nuptam (Dionysio teste) Hosto Hostilio viro fortissimo.

AOLLIVM voce Græca à ciuium congregatione, pòst Abillium nominatum.



II.
NVMÆ POMPILII.

POMPONIVS Pompo, vir inter Sabinos illustris & nobilis, domicilium habuit Curibus.


NVMA POMPILIVS inter fratres quatuor natu minimus, eodem die natus, quo vrbis Romæ fundamenta iacta, vndecimo nimirum Kal. Maii A. M. 3220. Curibus vrbe Sabinorum post interreges ad regnum Romanum euocatus: dexterrimè id administrauit annos XLIII. Pacis, otii, tranquillitatis studiosissimus: æquitatis & iustitiæ amantissimus: sacra & ceremonias, omnemq; deorum cultum Romanos docuit: pontifices, augures, flamines, salios, vestales, aliósque sacerdotes instituit. Ipse naturali senio confectus, morboq; consum-

T. TATIVS, Curibus Sabinorum oriundus, à gente sua belli contra Romanos ductor creatus: arcem Capitolinam proditione cepit: prælia cum Romanis intra mœnia iniit: hostem in fugam actum, multa cæde infestauit. A Romulo deinceps pace icta in regni societatem ascitus: id cum ipso quinquennium dun-

ptus octogenarius; vrbem belli gloria superbam, sanctissimis temperatam legibus, atque optima pace florentem reliquit A.V.81. In Ianiculo sepultus.

taxat administrauit. A Lanuniensibus intra ipsa sacra iugulatus.

LVCRETIA.	Vxores eius			TATIA Numæ Põpilio collocata.	
POMPO Pompilius: à quo gẽs Pomponia.	PINVS Pompilius, cõditor gẽtis Pinariæ.	CALPVS Pompilius, cõdidit gẽtem Calpurniã.	MAMERCVS Pompilius, à quo gens Æmylia suam originem deducit.	POMPILIA Numę Marcio nupsit.	ANCVS MARCIVS quartus Rex Rom.




III.
TVLLI HOSTILII.

HOSTILIVS vir nobilis ac fortis, ex vrbe Medullia Romam migrauit: à Romulo, quòd Fidenas primus irrupisset, frondea corona donatus: N. Ersiliæ filiam, vnam Sabinarum puellarum raptarum, sibi despondit. Contra Sabinum & T. Tatium fortiter pugnans, in acie cecidit.

HOSTVS HOSTILIVS id nominis accepit; quòd è raptis Sabinis mulieribus primus esset in hostico natus: à Romulo bulla aurea ac prætexta, insignibus, decoratus.

TVLLVS HOSTILIVS ab Horatio cognominatus Diues, tertius Romanorum Rex, natura ferocissimus, bellator fortissimus. Tria gessit bella: Albanum, Fidenas, Sabinum. Ac Albanos quidem virtute Horatiorum trigeminorum, primùm in potestatem adduxit: deinde fraude & perfidia eorum Fidenati bello comperta, Alba euersa, Romam omnes traduxit. Singulari autem tum stratagemate & imperii simulatione vsus: à se nimirum imperatum vt hostem à tergo adorirentur Albani, simulans: vtrumque hostem, Albanos & Fidenates magna clade deuicit. Tertio bello Sabinis, prælio ad syluam Malitiosam conserto victis, supplicibusque pacem dedit. Ad extremum præscripta Iouis Elicii (spiritus maligni) sacra incautius obiens: fulmine ictus cum tota domo conflagrauit A.V.112. regni sui XXXII.



IV.
ANCI MARCII.

MARCIVS Sabinus, Numam Pompilium ad regnum suscipiendum hortatus: cum eo Romam commigrauit. A quo in Senatum lectus, primus Pont. Max. creatus est. Post obitum autem Numæ in regni certamine à Tullo Histilio superatus, sibi mortem consciuit.

MARCIVS (Tacito teste Numæ prænomine vsus) à Tullo Hostilio Rege Præfectus vrbi creatus: in matrimonium accepit POMPILIAM Numæ regis F.

ANCVS MARCIVS Rex Romanorum quartus, vir fortis, bellator strenuus: quippe qui septem bella feliciter confecit: vnum cum Latinis: alterum cum Fidenatibus: tertium & septimum cum Sabinis: quartum & quintum cum Veientibus: sextum cum Volscis. Quorum bellorum omnium communis causa fuit: vt fines suos à finitimorum incursionibus & latrociniis defenderet; & prædas abactas, quas iure non red-

reddebant, armis repeteret. Hostibus vbique pulsis, rēque ex sententia gesta, de Veientibus tantùm triumphauit. Ianiculum idem muro cinxit, præsidióque muniuit: & imperio ad mare vsque prolato, Ostiam coloniam deduxit. Periit A.V. 138. regiminis sui XXIV. liberorum tutela Tarquinio Prisco demandata.

MARCII duo ἀνώνυμοι, quum Tarquinium Priscum regem, ipsorum tutorem, cuius fraude & artibus regno exciderant, per sicarios confecissent, à Seruio Tullio Rege in exilium sunt acti.



V.


SERVII TVLLII.

TVLLIVS patria Corniculanus, vir sanguinis regii, pro patria dimicans, quæ à Tarquinio Prisco Rege oppugnabatur, cecidit: vxore OCRISIA grauida relicta: quam captam Tarquinius Rex Tanaquili vxori suæ donauit.

SERVIVS TVLLIVS in seruitute apud Regem Tarquinium Priscum natus: (vnde etiam Seruius dictus existimatur) corroborata dein ætate ob virtutem gener Regi adscitus: ipso insidiis filiorum Anci interempto, suasu & auxilio suæ socrus regnum occupauit. Populum sibi munificentia conciliauit: Marcios fratres ob soceri sui cædem exilio mulctauit: cum Etruscis feliciter belligerauit: quos virtute & armis ita fregit, vt ter de iis triumphum egerit. Templum Dianæ condidit: vrbem pomœrio & collibus duobus amplificauit: censum, classes, centurias, & tribus constituit: æs nota pecudum (vnde pecunia dicta est, teste Plinio) primùm signauit. Domestico tandem filiæ & generi scelere è vita sublatus V. Id. Iunii A.V. 218. regni sui XLIV. octogenarius. Vxor TARQVINIA Maior.


TVLLIA Maior, L. Tarquinio Superbo suo amitino collocata: dum eius nefariis conatibus pio erga patrem obsequio resistit constantiùs: à marito impio per insidias occultas è medio est sublata.

TVLLIA Minor, mulier superba, & dominandi libidine pruriens: Aruntis mariti ingenium mite perosa, eum sustulit: incestisque se nuptiis L. Tarquinio Superbo copulauit: quem ad parentis senis cædem extimulauit; perque interfecti eius cadauer carpentum egit. Ob quod scelus omnibus exosa, in exilio consenuit.



VI.

TARQVINIORVM.



Familiæ ἐκφϱάσις.

DAMARATVS gente Bacchiada, è nobilissima Heraclidarum prosapia, potens mercator: Corintho patria per seditionem pulsus; Tarquinios Etruriæ vrbem fugit: fortunarum suarum sedem isthic constituens: vbi ducta vxore nobili & summo loco nata, filios procreauit duos:

ARVNTEM ante patrem morte abreptum; relicta vxore impragnata: è qua natus filius posthumus

ARVNS Tarquinius, cogn. EGERIVS: quòd aui testamento præteritus; nec patrimonium, nec auitorum bonorum hæreditatem consecutus esset. L. Tarquinium Priscum, suum patruũ, Romam secutus: illo ad regnũ euecto. bello Latino nomen dedit: & Collatia deditione capta, ei præfectus, nomen inde posteris reliquit. Natus autem ipsi F.

ARVNS COLLATINVS (à Liuio omnino præteritus: qui Capitolinas tabulas restituunt, Lucium appellant) genitor

L. TARQVINII COLLATINI, qui Tarquinium Superbum ad bellum in Rutulis est consectatus: Ardeæque vrbis obsidionem forti opera adiuuit. Vxorem habuit LVCRETIAM, à Sex. Tarquinio, Superbi filio, stupratam. Quod scelus vindicaturus in Regem vna cum Bruto conspirauit: cum eodemque comitiis Centuriatis Consul est factus. Quo in bonore quum collegæ ob nepotes è sororibus aduersaretur pertinaciùs: misso in suffragia populo, magistratu ob eo deiectus; Lauinium veterem Latinorum patriam concessit: ibidemq; exul consenuit.

TARQVINIA Maioris, quæ in matrimonio fuit Aquillii: vnde procreati Lucius & Marcus filii, proditionis à M. Iunii Bruti filiis institutæ facti consortes: eodemq; cum ipsis supplicio affecti.

TARQVINIÆ Minoris, matris Vitelliorum fratrum: qui & ipsi cum Bruti filiis conspirarunt: eandemque pœnam luerunt.

LVCVMONEM, qui ex asse à patre hæres institutus: eo defuncto, cum magna clientum manu Romam migrauit: mutatóque nomine pro Lucumone se LVCIVM & TARQVINIVM à Tarquiniis solo patrio appellauit. PRISCVS autem cognomine dici cœ-
3 *pit. regnante nepote L. Tarquinio Superbo: quia ipsum iam ætate aliqua præcesserat. Cæterùm ab Anco Marcio Rege, ab fidelem in bellis præstitam opem & operam, in ciuium & patriciorum ac senatorum numerum adscitus: dignus deinceps illo extincto habitus est, qui ipsi in regni administratione succederet. Pluribus prælis Latinos, Etruscos, & Sabinos rebellantes, ac populationibus agrum Romanum infestum reddentes fregit: splendidosque de eis triumphos egit. Interfectus tandem Anci Marcii filiorum insidiis A. V. 176. regni duodequadragesimo. Vxor TANAQVIL Hetrusca, Plinio Caia Cæcilia, liberos peperit ipsi tres:*

L. TARQVINIVM. qui hostem adolescens annorum XIV. in prælio occidens, fortis de se industriæ specimen edidit: sed florente ætate ante patrem vita defunctus est, duobus relictis filiis:

L. TARQVINIO Superbo, Romanorum Rege vltimo: qui tamen omnino se non Regem, sed tyrannum segessit crudelem ac libidinosum. Quapropter à M. Iunio Bruto, vrbe & regno est euectus A. V. 244. VI. Kal. Martii, qui dies posteris Regifugiũ est dictus: postquam rem Romanam tenuisset annos XXV. Bella inde cum Romanis complura gessit. Et quum nec Veientium, nec Latinorũ armis in regnum restitui posset, Cumas se contulit: exul in ea vrbe mortuus nonagenarius A. V. 259. Ex binis vxoribus TVLLIIS Seruii Tullii regis filiabus, quatuor ipsi procreati liberi:

SEXTVS Tarquinius, per vim Lucretiæ stuprũ intulit. Qua de causa à Bruto vrbe eiectus: Gabiis tandẽ quorundã insidiis est peremptus A. V. 255.

ARVNS Tarquinius, ob stuprũ Lucretiæ à fratre illatum, vnà cum patre & fratribus ipse quoq; Vrbe eiectus: Veientibus copiis amatus, Romanis bellum mouit: vbi in monomachia cum Bruto, mutuis vulneribus concidit prid. Kal. Martii A. V. 245.

TITVS Tarquinius, ob Sexti scelus, ipse quoq; exulare iussus: bello Latino, qd vltimũ Tarqnii cũ Rom. gessere, in acie fortiter pugnãs cecidit A. V. 255

TARQVINIA à patre Octauio Mamilio collocata: ipsi exuli hospitium atque auxilia impetrauit.

ARVNTE Tarquinio, optimi & mitis ingenii viro, ab vxore TVLLIA Minore insidiosè sublato.

TARQVINIAM Maiorem, collocatam Seruio Tullio, Regi Romanorum sexto,

TARQVINIAM Minorẽ, vxorẽ M. Iunii, matrẽ L. Iunii Bruti, qui Tarquinios vrbe eiecit

CON-



CONSVLVM ROMANORVM FAMILIÆ.

I.

IVNIA.

M. Ivnivs à Troianis oriundus, cuius maiores sub Regibus Romanorum laude & gloria bellica floruere, Tarquiniam Minorem, Tarquinii Prisci Regis F. in matrimonio habuit. A Tarquinio Superbo occisus.

M. Ivnivs à Tarquinio Superbo auunculo, vna cum patre peremptus.

L. Ivnivs summam prudentiam simulatione stultitiæ texit: seque Brvtvm, hoc est, stultum dici non recusauit: ídque ideò, quò faciliùs ea, quæ animo agitabat, exequi posset. Quum ergo Sex. Tarquinius Lucretiæ, Collatini vxori vim intulisset: populũ Rom. ad libertatem recuperandam hortatus: Regem cum Tarquinia gente vrbe expulit: ciuitatem perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis, legibus, iudiciísque deuinxit: collegæ suo Tarquinio Collatino, quî cum primus creatus Cos. erat A.V.244. vt ex vrbe regalis nominis memoria penitus aboleretur, imperium abrogauit. Bellum pro patria cum Tarquiniis & Latinis gerens, in acie ab Arunte, Regis Tarquinii filio, occisus est pridie Kal. Martii A.V.244.

Titvs Ivnivs Brvtvs. Tib. Ivnivs Brvtvs. A patre propter coniurationem de reducendis in regnum Tarquiniis, securi percussi A.V.245.



II.

VALERIA POPLICOLARVM, MAXIMORVM ET MESSALLARVM.

Valerivs volvsvs ex Sabinis oriundus, qui cum Tatio Rege in Vrbem migrarunt.

P. Valerivs Volvsvs quater Cos. leges in magistratu valde populares tulit: vt de prouocatione à Coss. ad populum, & de imperio à populo accipiendo: vnde Poplicola cognominatus est. Bis triumphauit: semel de Etruscis A.V.244. Kal. Martii: iterum de Sabinis A.V.249. Ipsi anno proximo extincto, funus ex pu-

M. Valerivs Volvsvs Cos. A.V.248. de Sabinis, quos bis prælio fuderat, triũphauit. Huic, quia sæpius vicerat, ædes in Palatio sunt tributæ, & publico sumptu ædificatæ. Bello Latino interfectus, A.V.257.

M. Valerivs Volvsvs nullum gessit magistratum. Meminit tamen

M. Valerivs Volvsvs Dict. A.V.259. plebẽ, quę prope ripã Anienis ad tertium milliarium consederat; eumque montem, qui Sacer appellatus est occupauerat, patribus reconciliauit. Quam ob rem amplissimi ipsi honores habiti: & primus ob eam ipsam causam Maximvs est appellatus. Hoc in magistratu de Sabinis, quos fu-

blico magnificentissimè decretum.

eius Liuius, libro secundo.

derat & castris exuerat, triumphauit. Manius autem est appellatus: quòd primus sacra diis manibus fecisset.

P. VALERIVS POPLICOLA, ab eadem, qua Marcus frater, virtute & fortuna nobilitatus. Bello Latino occisus A.V.257.

P. VALERIVS POPLICOLA Cos. A.V.278. Veiëtes, Sabinósque vicit, déque eis triumphauit. Cos. iterum A. V. 293. in pugna contra Herdonium cecidit.

L. VALERIVS POPLICOLA Cos. A. V. 304. primus de Volscis & Æquis iniussu Senatus triumphauit.

M. VALERIVS POPLICOLA bello Latino M. Valerium patruum, hasta in prælio percussum, vna cum fratre fortiter defendit: spirantem adhuc, ne spoliaretur scutis, ad vallum detulit. Vterque ad pugnam mox reuersi, patruum vindicaturi, in confertissimos se coniecerunt hostes: fortitérque pugnantes occisi sunt A. V. 257.

L. VALERIVS POTITVS Quæstor cum K. Fabio, Sp. Cassium affectati regni accusauit. Consulatum bis gessit: semel cum M. Fabio A. V. 270. iterum cum T. Æmilio A.V.283. quo cum Volscis dimicauit.

M. VALERIVS MAXIMVS Cos. cum Sp. Virginio A.V.297.

M. VALERIVS MAXIMVS bis TR. MIL. annis V.C.355.& 358. bellũ Capenas gessit.

M. VALERIVS MAXIMVS, Tribunus militaris A.V. 404. Gallum singulari certamine occidit: & CORVI cognomen accepit. Sexies cõsulatum gessit. Semel cum M. Popilio tres & viginti natus annos A.V.405. Cos. II. cum Q. Petilio A. V. 407. de Antiatibus, Volscis & Satricanis triumphauit Kalen. Februarii. Cos. III. cum A. Cornelio A. V. 410. in Campaniam aduersus Samnites missus cum exercitu, bis pugnauit: semel ad montem Gaurum: iterum ad Suessulam. Vtroque in loco victoria parta, hostibus fusis, eorumque castris captis atq; direptis, de iis triumphauit x. Kal. Octobris. DICT. A.V.411. militarem defectionẽ oratione compressit. Cos. IV. cum M. Atilio A. V. 418. Calenos acie fudit: Cales oppidum cepit: déque eis ex SC. triumphauit. Cos. V. cum Q. Appuleio A. V. 453. bellum gessit aduersus rebellantes Æquos. Cos. VI. cum M. Fuluio A. V. 454. Compleuit annum vitæ centesimum, integris corporis viribus. Ciuis & & patrisfamiliâs optabile exemplum.

L. VALERIVS POTITVS quinquies Tribunus fuit militum, annis V.C. 339. 347. 350. 352. 355.

C. VALERIVS POTITVS TR. MIL. annis V.C. 338. 346. 349. Cos. anno 343. ouans de Æquis vrbem est ingressus.

C. VALERIVS POTITVS TR. MIL. anno V.C. 383.

L. VALERIVS POPLICOLA POTITVS quinquies & ipse Tribunatum militarem consulari potestate gessit, annis V. C. 359. 365. 367. 371. 374. Cos. A. V. 361. de Æquis triumphauit.

P. VALERIVS POPLICOLA Potitus, sexies Tribunus fuit militàris Consulari potestate A. V. 368. 370. 374. 377. 383. 386.

M. VALERIVS POPLICOLA POTITVS, Magister Equitum C. Sulpicio Dict. A. V. 395. Cos. V. 398. & 400.

P. VALERIVS POPLICOLA POTITVS, Cos. A. V. 401. Dictator feriarum constituendarum causa A.V. 409.

P. VALERIVS POPLICOLA POTITVS Mag. Eq. M. Papyrio Dictatori A. V. 421.

M. Valerius Max. Corvus, Cos. cum P. Decio A.V. 441. de Samnitibus triumphauit Idib. Sextilibus. Cens. A.V. 446. vias per agros publica impensa fecit. Dict. rerum gerendarum causa A.V.452. Marsos fudit: déque Etruscis triumphans in vrbem rediit x. Kal. Decembris. Cos. II. cum Q. Cædicio A.V.464. Cos. III. cum Q. Ælio A.V.467.

M'. Valerius Max. Corvinus, Cos. cum M'. Otacilio A.V. 490. bello Punico primo Messanam vrbem cepit: vnde Messalla cognominatus est. Catina in Sicilia capta primum horologium in publico statuit secundùm Rostra in columna. Cens. cum P. Sempronio A.V. 501. quadringentos iuuenes equites, qui in Siciliam ad munitionum opus ire iussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulit.

M. Valerius Messalla, Cos. cum L. Apustio A.V.527.

M. Valerius Messalla, Pr. A.V. 560. Cos. A.V.566. in Liguribus, quam prouinciam fuerat sortitus, nihil memorabile gessit.

M. Valerius Messalla, Cos. A.V. 592. Cens. cum C. Cassio A.V. 599. theatra, in quibus pop. Rom. sedens spectaret ludos, excogitauit.

M. Valerius Mesalla. De quo nihil tradunt auctores.

M. Valerius Messalla, Cos. A.V. 692. Cens. A.V. 598. vxor Hortensia, soror Q. Hortensii Oratoris.

M. Valerius Messalla, Cos. A.V. 700. Ambitus accusatus, ab auunculo est defensus.

M. Valerius Messalla Corvinus ab Antonio proscriptus ad Brutum confugit, inde ad Augustum: à quo inter augures est cooptatus, & postea etiam Cos. creatus A.V.722.

M. Valerius Messalla Barbatus, Cos. A.V.741. in magistratu obiit.

M. Val. Messalinus Cotta, Cos. A.V.750.

M. Valerius Messalla, Cos. A.V.777.

Potitus Valerius Messalla, Cos. cum C. Cæsare Octauiano A.V. 724.

L. Valerius Potitus Messalla Volusus, Cos. A.V.757.



III.

LVCRETIA TRICIPITINORVM.

T. LVCRETIVS Tricipitinus.

SP. LVCRETIVS TRICIPITINVS, Cos. cum P. Valerio A. V. 244. in magistratu obiit.

LVCRETIA L. Tarquinii Collatini vxor, dux Romanæ pudicitiæ: à Sex. Tarquinio Superbi F. per vim stuprum pati coacta, quum grauissimis verbis iniuriã suam in concilio necessariorum deplorasset: cultro, quem sub veste occultatum habebat, se confodit.

T. LVCRETIVS TRICIPITINVS bis Cos. annis V.C. 245. 249.


T. LVCRETIVS Tricipitinus Cos. A. V. 291. de Æquis triumphauit.

L. LVCRETIVS Tricipitinus, nullum gessit magistratum.

HOSTVS LVCRETIVS Tricipitinus Cos. A.V. 324.

P. LVCRETIVS Tricipitinus, TR. MIL. consulari potestate A.V. 334. & 337.

L. LVCRETIVS TRICIPITINVS TR. MIL. cõsulari potestate fuit quater, annis V.C. 362. 367. 371. 374.



IV.

HORATIA.

HORATIVS PVLVILLVS ab Horatiis trigeminis, quorum de Curiatiis victoria libertatem & imperium Romano populo, Albanis perpetuam seruitutem peperit, oriundus.

M. HORATIVS PVLVILLVS bis Cos. annis V. C. 244. & 246. ædem Iouis Capitolini dedicauit.

M. HORATIVS PVLVILLVS, Cos. cum T. Menenio A. V. 276.

C. HORATIVS PVLVILLVS, Cos. A.V. 296. cũ Æquis in Algido benè pugnauit.

M. HORATIVS BARBATVS, Cos. A. V. 304. primus iniussu Senatus de Sabinis triumphauit VII. Kal. Septembris.

L. HORATIVS BARBATVS, TR. MIL. consulari potestate A.V. 328.

L. HORATIVS PVLVILLVS, TR. MIL. anno V.C. 368.

M. HORATIVS PVLVILLVS, TR. MIL. A.V. 376.

N. HORATIVS Pulũillus, nullum gessit magistratum.

P. HORATIVS COCLES contra Porsennæ Clusiorum regis & Tarquiniorum copias in ponte Tiberis vnus assistere est ausus: donec à tergo pons interscinderetur: tum se armatum in Tiberim præcipitauit. Cuius virtutis ergô pop. Rom. æream ipsi statuam in foro posuit. Polybius lib. 6. eum in Tiberi periisse scribit, aliter quàm cæteri tradunt scriptores.

POSTHV-

V.

POSTHVMIA.

P. POSTHVMIVS Q. F. TVBERTVS, Cos. cum M. Valerio A.V. 248. de Sabinis primus ouans Vrbem est ingressus.

A. POSTHVMIVS ALBVS, Cos. & DICT. A.V. 257. de Latinis ad lacum Regillum acerrimo prælio victis, triumphum nobilissimum egit: primúsque auream coronam ei, qui castra Latinorum expugnasset, dedit. In hoc honore REGILLENSIS est appellatus.

A. POSTHVMIVS Albus REGILLENSIS, Cos. cum Sp. Furio A.V. 289.

P. POSTHVMIVS ALBVS REGIL. CENS. cum L. Papyrio A.V. 335. TR. MIL. A.V. 339. propter crudelitatem & tyrannidem ab exercitu lapidibus obrutus.

M. POSTHVMIVS ALBVS Regillensis, TR. MIL. A.V. 327. CENS. A.V. 350.

Sp. POSTHVMIVS ALBVS REGIL. Cos. cum Q. Seruilio A. V. 287. Dict. LL. scribendarum causa A.V. 302.

Sp. POSTHVMIVS Albus Regillensis, TR. MIL. Cos. pot. A.V. 321.

A. POSTHVMIVS ALBINVS REGIL. Tr. mil. A. V. 356.

P. POSTHVMIVS ALBINVS Regillensis, nullo magistratu nec rebus gestis nobilitatus.

L. POSTHVMIVS ALBINVS Regillensis Tr. mil. A.V. 373.

Sp. POSTHVMIVS ALBINVS REGIL. TR. MIL. A.V. 359. CENS. cum C. Sulpicio A.V. 374. in magistratu mortuus.

L. POSTHVMIVS Albinus Regillensis, nullum adeptus magistratum.

L. POSTHVMIVS MEGELLVS, Consulatum ter gessit: semel cum T. Minucio A. V. 449. iterum cum Q. Atilio A.V. 459. vltimò cum C. Iunio A. V. 462. publico iudicio damnatus, quòd opera militum, quibus præerat, in agro suo esset vsus.

L. POSTHVMIVS MEGELLVS, Cos. A. V. 491. Agrigentum obsedit. PR. & CENS. A.V. 500. in magistratu decessit.

A. POSTHVMIVS ALBINVS nullum magistratum adeptus.

A. POSTHVMIVS ALBINVS Cos. cum C. Lutatio A.V. 511. quoniam flamẽ Martialis erat, à Cæcilio Metello Pontifice Max. ad bellum gerendum ituro, in vrbe detentus est sacrorum causa. Censorem egit A.V. 519.

L. POSTHVMIVS ALBINVS, Cos. A. V. 519. aduersus Ligures est missus. Cos. II. cum Cn. Fuluio A. V. 524. Cos. III. designatus A. V. 538. ante-

A. POSTHVMIVS ALBINVS, PR. A.V. 568. Cos. A.V. 573. cum collega C. Calpurnio Ligures est sortitus. CENS. A. V. 579.

A. POSTHVMIVS ALBINVS Cos: A. V. 602. vir literatus & disertus: Græcè scripsit historiam.

Sp. POSTHVMIVS ALBINVS PAVLLVS, Pr. A.V. 570. Cos. cum Q. Mutio A.V. 579.

Sp. POSTHVMIVS ALBI-

L. POSTHVMIVS ALBINVS, Pr. A.V. 573. Cos. cum M. Popillio A. V. 580.

quam magistratum iniret, in Gallia cum exercitu à Boiis est deletus.

Sp. POSTHVMIVS ALBINVS, Cos. cum Q. Martio A. V. 567. ex mandato senatus in mulieres quæ sacris Bacchanaliorum incestu vsæ fuerant, seuerè animaduertit. A PVBLICIA vxore tandem veneno necatus.

L. POSTVMIVS ALBINVS, Cos. cum Q. Opimio A. V. 599. in magistratu decessit.

A. POSTHVMIVS ALBINVS Cos. cum M. Antonio A. V. 654.

NVS, Cos. cum L. Calpurnio A. V. 605.

Sp. POSTHVMIVS ALBINVS, Cos. cum M. Minucio A. V. 644. aduersus Iugurthã missus: pecunia à Rege corruptus bellum traxit, quoad comitiorum causa Romam rediit.



VI.

MENENIA.

AGRIPPA MENENIVS C. F. LANATVS, Cos. cum P. Posthumio A. V. 250. ouans de Sabinis primus Vrbem est ingressus pridie Nonarum Aprilis. Legatus dehinc ad plebem in Sacrum montem, obiit A. V. 260. Funus eius publica impensa elatum.

T. MENENIVS LANATVS, Cos. cum C. Horatio A. V. 276. à populo damnatus est.

T. MENENIVS LANATVS, Cos. cum P. Sextio A. V. 301.

AGRIPPA MENENIVS LANATVS, Cos. cum T. Quinctio A. V. 314. TR. MIL. consulari potestate A. V. 336.

M. MENENIVS LANATVS, bis tribunatum militũ consulari potestate gessit annis V. C. 367. & 374.

L. MENENIVS LANATVS, Cos. cum Proculo Geganio A. V. 313.



VII.

CASSIA.

Sp. CASSIVS VISCELLINVS Cos. cum Opimio Virginio A. V. 251. Sabinorum bellum quadriennale confecit, de iisque triumphauit. Primus inde MAG. EQ. creatus T. Lartio Dict. A. V. 255. Cos. II. cum Posthumo Cominio A. V. 260. quo fœdus cum Latinis ictum. Cos. III. cum Proculo Virginio A. V. 267. Volscos & Hernicos, contra quos exercitum duxerat, in amicitiam pop. Rom. traduxit. Qua de causa gratia potiùs, quàm iure, triumphum impetrauit. Elatus autem tribus consulatibus, & duobus triumphis (quod nemini adhuc contigerat) regnum affectauit: & legem Agrariam, de agro videlicet Hernicorum Latinis & ciuibus Romanis diuidendo, ad conciliandam sibi plebem primus Romæ promulgauit. A quæstoribus Fabio & Vale-

& Valerio deinceps affectati imperii accusatus, de saxo Tarpeio præcipitatus est.

Fuit exinde sine magistratibus gens Cassia annis CCCXV.

Q. CASSIVS L. F. Q. N. LONGINVS Pr. A.V. 586. Cos. cum A. Manlio A.V. 589. in magistratu obiit.

L. CASSIVS LONGINVS TR. PL. A.V. 616. Cos. cum L. Cinna A.V. 626. CENS. cum Cn. Seruilio A.V. 628.

L. CASSIVS LONGINVS PR. A.V. 642. COS. cum C. Mario A.V. 646. quo in magistratu à Tigurinis est interfectus: & exercitus eius sub iugum missus.

C. CASSIVS VARVS, Cos. cum M. Terentio. A.V. 680.

C. CASSIVS LONGINVS Cos. cum Cn. Domitio, A.V. 657.

C. CASSIVS C. F. C. N. LONGINVS, Cos. cum P. Licinio A.V. 582. Galliam prouinciam sortitus, in ea nihil memorabile gessit: & quum in Macedoniam alterius prouinciam exercitum duxisset, à Senatu domum est reuocatus. CENS. cum M. Valerio A.V. 599.

C. CASSIVS LONGINVS, Cos. cum C. Sextilio A.V. 629.



IIX.

VIRGINIA.

N. Virginius Tricostus.

A. VIRGINIVS TRICOSTVS Cœlimontanus.

A. VIRGINIVS TRICOSTVS Cœlimontanus Cos. cum T. Vetusio A.V. 259.

A. VIRGINIVS TRICOSTVS Cœlimontanus. Cos. A.V. 284.

Sp. VIRGINIVS TRICOSTVS Cœlimontanus, Cos. cum M. Valerio A.V. 297.

T. VIRGINIVS TRICOSTVS Cœlimontanus, Cos. A.V. 305.

T. VIRGINIVS TRICOSTVS.

T. VIRGINIVS TRICOSTVS, Cos. cum A. Postumio A.V. 257.

T. VIRGINIVS TRICOSTVS Rutilus, Cos. cum K. Fabio A.V. 274. peste obiit A.V. 290.

L. VIRGINIVS TRICOSTVS Rutilus, Cos. cum M. Cornelio A.V. 318. iterum cum C. Iulio A.V. 319.

L. VIRGINIVS TRICOSTVS RVTILVS TR. MIL. Cos. pot. A.V. 365.

PROCVLVS VIRGINIVS Tricostus RVTILVS, Cos. cum Sp. Cassio A.V. 267. Æquos fudit fugauitq;.

A. VIRGINIVS Tricostus RVTILVS, Cos. cũ Sp. Seruilio A.V. 277.

OPITER VIRGINIVS Tricostus, Cos. cum Sp. Cassio A.V. 251.



IX.

SVLPICIA.

SER. SVLPICIVS P. F. Camerinus, Cos. cum M. Tullio A.V. 253.

SER. SVLPICIVS Camerinus Cos. cum P. Volumnio A.V. 292. Decemvir LL. scribendarum causa A.V. 302.

SER. SVLPICIVS Camerinus Cos. cum L. Lucretio A.V. 360.

SER. SVLPICIVS Camerinus Cos. cum M. Fabio A. V. 408.

Q. SVLPICIVS Camerinus CORNVTVS, TR. MIL. A. V. 351. & 355. CENS. A.V. 374. in eo magistratu diem suum obiit.



X.

ÆBVTIA.

T. ÆBVTIVS T.F. HELVA, Cos. cum P. Veturio A. V. 254. Mag. Eq. A. Postumio Dict. A.V. 257.

L. ÆBVTIVS Helua, in consulatu, quem vnicum gessit cum P. Seruilio, extinctus peste A.V. 290.

POSTHVMVS ÆBVTIVS Helua CORNICEN, Cos. cum M. Fabio A.V. 311. Mag. Eq. Q. Seruilio Dictatore A.V. 318.



XI.

VETVRIA.

P. VETVRIVS Geminus Cicurinus.

P. VETVRIVS Geminus Cicurinus, Cos. cum T. Æbutio, A. V. 254. Primus Quæstor cum M. Minucio A.V. 244.

C. VETVRIVS Geminus Cicurinus Cos. cum T. Romulio, A.V. 298. in Algido cum Æquis prosperè pugnauit. Decemvir LL. scribendarum causa A. V. 302.

T. VETVRIVS Geminus Cicurinus Cos. cum A. Virginio A.V. 259.

T. VETVRIVS Geminus Cicurinus, Cos. cum T. Lucretio A. V. 291. de Volscis ouans sine militibus Vrbem est ingressus.

M. VETVRIVS Crassus Cicurinus TR. MIL. A.V. 354.

C. VETVRIVS Crassus Cicurinus TR. MIL. annis V.C. 377. & 384.



XII.

CLOELIA.

Q. CLOELIVS Siculus, à Clœlio Æneæ comite oriundus, Cos. cum T. Lartio A.V. 255.

T. CLOELIVS Siculus TR. MIL. Cos. pot. A.V. 309. vitio factus abdicauit.

Q. CLOELIVS Siculus CENS. cum Sp. Seruilio A.V. 386.

P. CLOELIVS Siculus TR. MIL. A. V. 376.

SEMPRO-

XIII.
SEMPRONIA ATRATINORUM.

A. SEMPRONIVS ATRATINVS bis Cos. eundem collegam M. Minucium habuit annis V.C. 256. & 262.

A. SEMPRONIVS ATRATINVS Tr. MIL. A. 309. ante finem anni magistratum deposuit.

C. SEMPRONIVS ATRATINVS Cos. cum Q. Fabio A. V. 330. cum Volscis ad Vertuginem malè pugnauit.

L. SEMPRONIVS ATRATINVS Cos. cum L. Papisio A. V. 309. CENS. cum eodem collega anno proximo.

A. SEMPRONIVS ATRATINVS ter Tribunatum militum gessit, annis V.C. 328. 333. & 337.

A. SEMPRONIVS ATRATINVS, Mag. Eq. T. Quinctio Dictatore A. V. 374.

XIV.
MINVCIA.

N. Minucius Augurinus.

M. MINVCIVS AVGVRINVS, Cos. cum A. Sempronio A. V. 256. iterum cum eodem collega A. V. 262.

L. MINVCIVS AVGVRINVS, Cos. cum C. Nautio A. V. 295. ab Æquis obsessus, L. Quinctii Dict. subsidio quidem est liberatus: at magistratum abdicare coactus.

P. MINVCIVS AVGVRINVS, Cos. cum T. Geganio A. V. 261.

Q. MINVCIVS AVGVRINVS Cos. cum C. Horatio A. V. 296.

XV.
CLAVDIA REGILLENSIVM.

ACTIVS CLAVSVS, pòst APPIVS CLAVDIVS appellatus, homo domi suæ nobilis & clarus: Regillo vrbe Sabinorum (vnde SABINVS REGILLENSIS dictus) à seditiosis hominibus pulsus, magna clientum manu Romam commigrauit A. V. 250. vbi in Senatum ac patriciorum ordinem cooptatus: ac mox Cos. creatus, annò nimirum V.C. 258. facilè principem in Repub. locum tenuit: clarissimúmque nomen posteris tradidit. Tabulæ Capitolinæ Marcum appellant.

Ap. CLAVDIVS Regillensis, Sabinus, Cos. cum T. Quinctio A. V. 282. in Volscis rem gessit. Accusatus à Trib. pl. ad populum anno sequenti, mortem sibimet-ipsi ante iudicii diem consciuit.

C. CLAVDIVS Regillensis Sabinus, Cos. cum P. Valerio A. V. 293.

Ap. CLAVDIVS CRASSINVS Regillensis, Cos. designatus A. V. 302. abdicauit, Decemvir consularis factus legum scribendarum causa: quem magistratum quum in tertium vsque annum cum

collegis, inuito Senatu & populo, retineret: & Virginiæ plebeiæ virgini vim inferre conaretur: à Tribunis plebis in carcerem coniectus, miseram obiit mortem.

Ap. CLAVDIVS Crassus Regillensis, TR. MIL. Cos. pot. A.V. 329.

Ap. CLAVDIVS CRASSVS Regillensis TR. MIL. Cos. pot. A.V. 350. DICT. rerum gerendarum causa A.V. 391.

C. CLAVDIVS CRASSINVS Regillensis DICT. R. G. C. A.V. 416. vitio creatus abdicauit.

P. CLAVDIVS Crassus Sabinus, nullum gessit magistratum.

P. CLAVDIVS CRASSVS Sabinus Regillensis Cos. cum L. Furio, in magistratu decessit A.V. 404.

C. CLAVDIVS CRASSINVS Regillensis.

C. CLAVDIVS CANINA, Cos. cum M. Æmilio A.V. 468. iterum cum C. Fabio A.V. 480. de Samnitibus & Lucanis triumphauit.

Ap. CLAVDIVS CRASSVS, postmodò CÆCVS cognominatus, CENS. cum C. Plautio A.V. 441. aquam in vrbem perduxit: & viam muniuit, quæ ab eo Appia est dicta. Post censuram bis consulatum gessit, eundem semper sortitus collegam L. Volumnium; semel A.V. 446. iterum A.V. 457. quo cum Samnitibus prosperè pugnauit: pacémque & fœdus cum Pyrrho in Senatu dissuasit. De huius cæcitate sic Liuius: Quia (inquit) Appio auctore gens Potitia, cuius ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, seruos publicos ministerii delegandi causa, solennia eius sacri docuerat: memori deûm irâ post aliquot annos Appium tradunt luminibus captum. Hoc tamen malo grauatus, Remp. fortissimè rexit.

Ap. CLAVDIVS CAVDEX, Cos. cum M. Fuluio A.V. 489. Primus Carthaginēsibus bellum intulit: & Hierone Syracusanorum Rege, illorum socio, fugato; cum ipsis ad Messanam varia prælia commisit.

Ap. CLAVDIVS Crassinus Regillēsis, Cos. cū P. Sempronio A.V. 485. Picentes vicit: victis pacem dedit.

P. CLAVDIVS PVLCER, Cos. cum L. Iunio A.V. 504 cum classe cxx. nauium ad Drepani portū contra Pœnos profect⁹, infeliciter pugnauit, nauib. amissis xciii. propterea à Romanis postea publico iudicio damnatus est.

Ap. CLAVDIVS PVLCER, Cos. cum Q. Fuluio A.V. 541.

Ap. CLAVDIVS PVLCER præturam gessit A.V. 566. consulatum biennio pòst.

Ap. CLAVDIVS PVLCER, Cos. cum Q. Cæcilio A.V. 610. à Salassis Gallis victus, decē millia peditum amisit:

P. CLAVDIVS PVLCER, Pr. A.V. 565. Cos. cū L. Porcio A.V. 569.

C. CLAVDIVS PVLCER, Pr. A.V. 576. Istris subactis ex SC. in Ligures legiones duxit: duarúmq; gentium vno anno victor, duab. in consulatu pacatis prouinciis, Romam triumphans reuertit.

C. CLAVDIVS CENTHO, Cos. cū M. Sempronio A.V. 513. CENS. cum M. Iunio A.V. 528 Dict. Comitiorum habendorum causa A.V. 540.

TI. CLAVDIVS NERO. Ab hoc Tiberium Cæsarem originem paterni generis trahere; auctor est in Nerone Suetonius.

P. CLAVDIVS Nero.

TIB. CLAVDIVS NERO, Cos. cum M. Seruilio A.V. 551. Africam prouinciā sortitus est.

C. CLAVDIVS NERO, Pr. A.V. 541. Cos. cum M. Liuio A.V. 546. de Asdrubale interfecto & Pœnis triumphauit. CENSOR postea fuit cū eodē collega.

Stirps CL. TIBERII NERONIS CÆSARIS: cuius maiores aliqua ex parte desiderantur: quòd

** ✠ †† reparata

** reparata pugna, quinque millia hominum cæcîdit. Triumphum propter damna superiora quum non impetrasset: infami impudentia atque ambitione vsus, sumptibus triumphauit. Quem triumphantē CLAVDIA soror, virgo Vestalis, ascenso simul curru, vsque in Capitolium est prosequuta: ne vetare aut interdicere fas cuiquā tribunorum esset.

C. CLAVDIVS PVLCER, Ædilis curulis A. V. 654. Pr. A. V. 658. Siciliam prouinciam gubernandam accepit. Cos. cum M. Perpenna A. V. 671.

Ap. CLAVDIVS Pulcer, Cos. cum C. Norbano A. V. 715.

C. CLAVDIVS PVLCER, Cos. cum M. Perpenna A. V. 623.

AP. CLAVDIVS PVLCER in Ædilitate præteritus, & quidē patre viuo sine repulsa Cos. factus A. V. 674. Macedoniam gubernandam est sortitus.

†† *nomina ipsorum vel vetustate obliterata sunt, vel monumētis non prodita: præsertim quum sine magistratu fuerit hæc familia annis amplius ducentis.*

AP. CLAVDIVS PVLCER, Pr. A. V. 690. Sardiniam obtinuit. Cos. cū L. Domitio A. V. 699.

P. CLODIVS PVLCER moribus improbis, mœchus, & adulter incestuosus: in sacris Bonę deę, domi Cæsaris cum veste muliebri deprehēsus: & à M. Tullio accusatus, ipsi infestissimus est factus. Quem vt Vrbe pellere posset, omnique scelere vexare Rempub. patriciatu abdicato ad plebem transiit: & M. Fonteio, homini plebeio, Cæsare Cos. conniuente, adoptandum se dedit. Factus itaque TRIB. PL. A. V. 695. Ciceronem Vrbe expulit: domum eius incendit: bona sub hasta vendidit: leges perniciosas multas tulit. A. Milone tandem candidato consulatus, in via Appia ad Bouillas est occisus A. V. 701. Cadauer Romam relatum, in curia à Sex. Clodii scriba est crematum: quo incendio curia conflagrauit. Ipse sine pompa funebri est sepultus. Vxor FVLVIA nupsit postmodo M. Antonio Triumuiro.

C. CLAVDII filii duo, ambo Appii, à patruo Appio sunt adoptati.

CLAVDIA Augusto Cæsari desponsata, ob dissidium cum Fuluia matre virgo adhuc & intacta ab eo est repediata.

P. CLODIVM PVLCRVM Valerius lib. 3. cap. 5. ita dissolutū & luxuriosum fuisse refert, vt abdomine auidè deuorato, fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddiderit.



XVI.

SERVILLA PRISCORVM.

P. Seruilius Priscus.

P. SERVILIVS PRISCVS, Cos. A. V. 258. Volscos & Sabinos vicit: deque iis inuito Senatu triumphauit.

P. SERVILIVS PRISCVS, Cos. cum A. Virginio A. V. 277. Veientes occidione occidit.

P. SERVILIVS PRISCVS, Cos. cum L. Æbutio A. V. 290. in magistratu peste obiit.

Q. SERVILIVS PRISCVS siue Structus

Q. SERVILIVS PRISCVS, MAG. EQ. M. Valerio Dict. A. V. 259.

Q. SERVILIVS PRISCVS, Cos. cum T. Quinctio A. V. 285. Sabinos populantes effusè vastauit. Cos. II. cum Sp. Posthumio A. V. 287. in Æquos missus, in Latino agro statiua habuit.

Q. SERVILIVS PRISCVS.

C. SERVILIVS PRISCVS AHALA, MAG. EQ. L. Quinctio Dict. A. V.

DICT. A. V. 318. Fidenas cepit: vnde FIDENATIS cognomentũ tulit. DICT. II. A. V. 335. Æquos Lauicanos vicit.

314. Sp. Melium regnum affectantem interemit.

Q. SERVILIVS PRISCVS FIDENAS, TR. MIL. Cos. pot. sexies fuit, annis V. C. 351. 355. 358. 363. 366 368.

Q. SERVILIVS PRISCVS Fidenâs TR. MIL. Cos. pot. annis V. C. 372. 376. 384.

Q. SERVILIVS AHALA, Cos. cum L. Genucio A. V. 388. & 391. DICT. A. V. 393. Gallos ante portam Collinam fudit & fugauit. MAG. EQ. A. V. 402.

Q. SERVILIVS AHALA, Cos. cũm M. Marcio A. V. 411.

L. SERVILIVS PRISCVS TR. MIL. consulari potestate A. V. 336.

C. SERVILIVS AXILLA Cos. cum L. Papyrio A. V. 326. TR. MIL. A. V. 334. & 335. A patre Q. Seruilio MAG. EQ. dictus.

C. SERVILIVS AHALA TR. MIL. annis V. C. 345. 346. 351.

C. SERVILIVS AHALA MAG. EQ. M. Camillo Dictatore A. V. 365.

Sp. SERVILIVS STRVCTVS TR. MIL. A. V. 386.



XVII.

GEGANIA.

N. GEGANIVS MACERINVS, à Gia Æneæ comite oriundus.

T. GEGANIVS MACERINVS, Cos. cum P. Minucio A. V. 261.

L. GEGANIVS MACERINVS.

L. GEGANIVS MACERINVS, TR. MIL. Cos. pot. A. V. 376.

M. GEGANIVS MACERINVS, nullum magistratum gessit.

M. GEGANIVS MACERINVS ter Consulatum gessit: semel cum C. Iulio A. V. 306. iterum cum T. Quinctio A. V. 310. quo Volscos in deditionem accepit: & Cluitium illorum Imp. captum, in triumpho duxit Non. Septembris: tertiò cum L. Sergio A. V. 316. CENS. inde factus cum C. Furio. A. V. 318.

M. GEGANIVS MACERINVS. TR. MIL. A. V. 386.

PROCVLVS GEGANIVS Macerinus, Cos. cum L. Menenio A. V. 313.

L. GEGANIVS MACERINVS legatus à Senatu in Siciliam missus ad coemendum frumentum.



XIIX.

IVLIA.

Hanc infrà sub Impp. familiis delineabimus.

PINA-

XIX.

PINARIA.

P. Pinarius Mamercinus, Rufus, à Pino Numæ Regis filio; vel à Pinariis, qui Herculi faciebant sacra anniuersaria, originem ducens: Consulatum gessit cum C. Iulio A. V. 264.

L. Pinarius Rufus Mamercinus Cos. cum Sp. Furio A. V. 281.

L. Pinarius Rufus Tr. mil. Cos. pot. A. V. 321.

L. Pinarius Natta Mag. Eq. L. Manlio Dict. A. V. 390.

XX.

NAVTIA.

Sp. Nautius Rutilus, à Naute Æneæ Comite, Palladis sacerdote, suum deriuans genus.

Sp. Nautius Rutilus, Cos. cum Sex. Furio A. V. 265.

C. Nautius Rutilus bis Consul fuit: semel cum P. Valerio A. V. 278. Cos. II. cum L. Minucio A. V. 295. cum Sabinis ad Eretum egregiè pugnauit.

Sp. Nautius Rutilus Tr. mil. Consulari potestate A. V. 330.

Sp. Nautius Rutilus ter Tribunatum militum consulari potestate gessit annis V. C. 334. 337. 349.

C. Nautius Rutilus, Cos. cum M. Papisio A. V. 342.

Sp. Nautius Rutilus, Cos. cum M. Popillio A. V. 437.

Sp. Nautius Rutilus, Cos. cum M. Claudio A. V. 466.

XXI.

FVRIA.

Sex. Furius Fusus, Cos. cum Sp. Nautio A. V. 265.

Sp. Furius Fusus, quater Cos. creatus: semel cum K. Fabio A. V. 272. iterum cum L. Pinario A. V. 281. tertiò cum A Postumio A. V. 289. quo contra Æquos acri & periculoso bello conflixit: quartò Sex. Quinctilio suffectus, peste extinct' est A. V. 300.

L. Furius Fusus, Cos. cum Manlio A. V. 279. decennio pòst in acie contra Æquos fortiter pugnans cecidit.

L. Furius Medullinus, ter fuit Tr. mil. Cos. pot. annis V. C. 321. 328. 333.

Agrippa Furius Fusus, Cos. cum T.

L. FVRIVS MEDVLLINVS bis Cos. A.V. 340.&344. septies TR. MIL. fuit, annis V. C. 346. 348. 355. 356. 358. 359. 362. Volscos vicit: Ferentinum cepit.

Sp. FVRIVS Medullinus TR. MIL. A.V. 376.

Sp. FVRIVS MEDVLLINVS TR. MIL. A. V. 353.

L. FVRIVS MEDVLLINV TR. MIL. annis V.C. 373. & 383. CENS. cum M. Fabio A.V. 390.

M. FVRIVS CAMILLVS Censor cum M. Posthumio A. V. 350. sexies fuit Tribunus Militum: quater Dictator. Faliscis & Fidenatibus fusis, atq; castris exutis: ad Veios profectus, cuniculo in arcem hostium acto, vrbem ipsam decimo eius belli anno cepit: clarissimúmque de Veientibus in Vrbem triumphum equis albis quatuor iuncto curru primus inuexit A. V. 357. Biennio pòst Faliscos iustitia in ditionem pop. Rom. redegit: remisso ad ipsos puerorum magistro proditore. Quarto abhinc anno à L. Appuleio trib. pl. ob prædam Veientanam iniquè diuisam in exilium eiectus: breui lege Curiata, Ardea vbi exulabat, reuocatus: & absens Dictator dictus: Gallos Senones, qui Vrbem occuparant, Vrbe expulit: & ad octauum lapidem Gabinia via Idib. Februarii occidione occidit: déque iis triumphans, Romulus à militibus, & parens patriæ, Vrbísque alter conditor est vocitatus. Mox A.V. 366. trium bellorum victor, de Volscis, Æquis, & Etruscis in Vrbem tertiùm triumphans rediit. Anno exinde V. C. 373. Prænestinos & Volscos vicit: Tusculanos autem in fidem recepit. Anno V.C. 386. Gallos in agro Albano superauit: de eísque quartus illi S. P. Q. R. consensu decretus est triumphus. Peste tandem extinctus est octogenarius A.V. 389.

Quinctio, A.V. 307. Æquos Volscosq;, qui ad mœnia Romæ populabūdi venerant, fudit.

AGRIPPA FVRIVS FVSVS TR. MIL. A.V. 362.

Sp. FVRIVS CAMILLVS primus PR. A.V. 387.

L. FVRIVS CAMILLVS, COS. cū C. Mænio A. V. 415. valido exercitu cum Tiburtibus ad Pedum prospero euentu pugnauit. COS. II. cum D. Iunio, Samnium prouinciam sortitus est: sed quem morbo implicitum fortuna bello subtraxit.

L. FVRIVS CAMILLVS bis Dictator, annis V.C. 403. & 408. COS: cum P. Claudio A.V. 404. Gallos in agro Pontanto acie fusos, in Apuliam compulit.



XXII.

FABIA.

K. FABIVS VIBVLANVS, generis originem ad primos Aborigines, stirpem ad Fabium Herculis F. referens. Hercules enim ille Ioue natus, à Græcis ad Romanos & Oceanum vsque peruagatus, multis gentibus ac familiis initia & quasi semina sui generis dedit.

K. FABIVS VIBVLANVS Quæstor, Sp. Cassium regnū affectantem accusauit. Tribus consulatibus fuit insignis: quorum primum cum L. Æmilio gessit A.V. 269. alterum cum

M. FABIVS VIBVLANVS bis Cos. annis V. C. 270. & 273. cum Veientibus acerrimo prælio conflixit: cruentáque de illis victoria parta triūphum partim ob collegā Cn.

Q. FABIVS VIBVLANVS bis Cos. annis V.C. 268. 271. in prælio cum Veientibus & Hetruscis cecidit A.V. 273.

Sp. Fu-

Sp. Furio, A.V.272. extremũ cum T. Virginio A.V. 274. quo Veiens quoque bellum cum gente Fabiorum sibi depoposcit: Sed in quo ad Cremeram cæsus, periit A.V.276.

†Manlium, partim ob fratrem & Fabium consularem, qui eo bello periere, recusauit: ipse quoque idcirco duobus ante exitum anni mensibus abdicauit. Ad Cremeram tandem cum reliquis trecentis Fabiis cæsus occubuit A.V.276.

Q. FABIVS VIBVLANVS, solus ex CCC. Fabiis ad Cremeram cæsis superstes: ad res gerendas vir idoneus & manu promptus: ter consulatum gessit, annis V.C. 286. 288. 294. recuperatóque ab Æquis Tusculo, eos vna cum Volscis ad Algidum fugauit, atque castris exuit. Decemvir idem creatus legum scribendarum causa A.V.303.

Q. FABIVS VIBVLANVS Cos. cum C. Semprohio A.V.330. TR. MIL. Cos. pot. A.V.337. & 339.

M. FABIVS VIBVLANVS, Cos. cum P. Æbutio A.V.311. TR. MIL. consulari potestate A.V.320.

N. FABIVS VIBVLANVS, Cos. cum T. Quinctio A.V.332. TR. MIL. A.V.338. & 346.

Q. FABIVS AMBVSTVS, Cos. cum C. Furio A.V. 341.

N. FABIVS AMBVSTVS Quæstor A.V.344. TR. MIL. consulari potestate A.V.347. & 363.

M. FABIVS AMBVSTVS, Cos. cum C. Pætilio A.V.393. Hernicis deuictis, ouans Vrbem est ingressus Nonis Septembris. Cos. II. cum M. Popillio A.V.397. à Faliscis & Tarquiniensibus prima pugna fusus, hostium castris pòst potitus est. Cos. III. cum T. Quinctio A.V.399. de Tiburtibus Sassula vrbe capta, & gente vniuersa positis armis in fidẽ recepta, triumphauit III. Non. Iunii. DICT. creatus A.V.402.


K. FABIVS AMBVSTVS TR. MIL. annis V.C. 349. 352. 358. 363.

M. FABIVS AMBVSTVS TR. MIL. ann. V.C. 373. & 384. CENS. A.V.390.

M. FABIVS AMBVSTVS, Cos. cum C. Plautio A.V. 395. Interrex A.V.398. Liuius eum C. Fabium nominat.

Q. FABIVS AMBVSTVS MAG. EQ. A.V. 409.

Q. FABIVS AMBVSTVS, DICT. A.V. 432.



M. FABIVS AMBVSTVS, MAG. EQ. A. Cornelio Dictatore A.V.431. rem aduersus Samnites prosperè gessit.

N. FABIVS BVTEO Cos. cum L. Cæcilio A.V.506. Drepanũ obsedit, & Columbariam insulam cepit. Cos. II. cum C. Atilio A.V.508. classem hostiũ in Africo mari apud Ægimurũ in Italiã vltrò nauigã-

Q. FABIVS MAX. RVLLIANVS, MAG. EQ. L. Papyrio Dictatori, quum illo absente cũ Samnitibus prosperè pugnasset, hostiũ viginti millium occisis: coactus à Dictatore abdicauit. Cos. cum L. Fuluio A.V.431. de Samnitibus acerrimo prælio victis, cum collega triumphauit XII. Kal. Martii. PRO-cos. ad Perusiam Etruscorum opes

C. FABIVS AMBVSTVS MAG. EQ. Q. Fabio Max. Dict. A.V.438.

C. FABIVS PICTOR, Cos. cum L. Quinctio A.V. 484. Historiam scripsit: ædẽ Salutis pinxit. Iuris & literarum, & antiquitatis benè peritum, Cicero nominat in Bruto.

N. FABIVS PICTOR, Cos. cum D. Iunio, A.V. 487. de Sallentinis & Mussapiis triumphauit.

M. FABIVS Licinus, Cos. cum M. Otacilio A.V. 507.

Q. FABIVS PICTOR, Fl. Quirinalis inauguratus A.V.529.

tem cæcidit. CENS. cum Q. Aurelio A. V. 512. MAG. EQ. L. Metello Dict. A. V. 529. DICT. ipsemet A.V. 537.

ita fregit: vt à Perusia, Crotona & Arretio legati pacem petentes venerint: Perusinos, induciarum fide rupta victos, Vrbem dedere coegit: de Etruscis splendidum triumphum egit Id. Nouembris. Quinquies Consul fuit: bis Dictator: semel Censor: quo in honore MAXIMI cognomen meruit.

Q. FABIVS GVRGES ædem Veneris dedicauit. Cos. cum D. Iunio, A. V. 461. aduersus Samnites malè pugnauit. Commisso namque prælio victus, in Vrbem refugit. Itaque quum Senatus de remouendo eo deliberaret: Q. Fabius Max. pater deprecatus hanc filii ignominiam, iturum se filio legatum pollicitus est. Eius ergo consiliis & opera adiutus filius Consul, cæsis Samnitibus, triumphauit: & C. Pontium illorum imperatorem, in triumpho ductum, postea securi percussit.

Q. FABIVS MAX. VERRVCOSSVS, à verruca in labiis dictus; Augur, quinquies Consul, bis Dictator, semel Censor fuit. Ac primo quidem consulatu A. V. 520. aduersus Ligures profectus, graui eos prælio superauit: & templum Virtutis & Honoris dedicauit. Bello Punico secundo A. V. 536. Hannibalem compluribus victoriis ferocem, vicit cunctando, coercuit subsequendo. Dictator Magistro EQ. Minucio, cuius populus imperium cum Dictatoris imperio adæquauerat, exercitui profligato subuenit; & eo nomine ab exercitu Minuciano pater appellatus est. Cos. quintùm Tarentum cepit & triumphauit A.V. 544. Exactæ tandem ætatis diem obiit A. V. 546. Dux ætatis suæ cautissimus, & rei militaris peritissimus.

Q. FABIVS MAX. VERRVCOSSVS, Cos. cum T. Sempronio A.V. 540. patrem in castra ad Suessulam legatum sibi venientem, equo descendere iussit. Viuo patre rebus humanis excessit.

Q. FABIVS MAX. LABEO, Flamen Quirinalis, Cos. cum M. Claudio A.V. 570.

Q. FABIVS MAX. ÆMILIANVS Cos. cum L. Hostilio A. V. 608. prorogato imperio, Viriatum in Hispania secundus fregit: duobúsque illi oppidis ademptis, cum maxima exercitus illius clade fugauit.

Q. FABIVS MAX. ÆMILIANVS, Cos. cum L. Opimio, A. V. 632. aduersus Allobrogũ, Atuernorúmq; gentes, apud flumen Isarã prælio commisso, ante diem VI. Id. Aug. CXX. millibus perduelliũ cæsis, febri quartana liberatus est in acie: ex qua victoria ALLOBROGICVS postea est appellatus. Hoc adolescente nihil magis infame, nihil eodẽ sene ornatius illo seculo fuisse scribit Valerius lib. 6. cap. 9.

Q. FABIVS MAX. ALLOBROGICVS. Eum perditam egisse vitam, & ideo bonis illi paternis à Q. Pompeio PR. VRB interdictum testatur Valerius lib. 3. cap. 5.

Q. FABIVS MAX. SERVILIANVS, Cos. cum L. Metello A.V. 611. PROCOS. in Hispania rem cum Viriato gessit prosperrimè: Bacciam oppidum obsidione liberauit, & in deditionem cum plurimis aliis castellis recepit: transfugis captis manus præscidit: vt trunca præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis iniicerent.

Q. FABIVS MAX. EBVRNVS, Cos. cum C. Licinio A. V. 637. Hunc pullum Iouis propter candorem dictum auctor est Festus: & filium impudicum cognita causa domi necasse, tradit Quintilianus.

Q. FABIVS MAXIMVS, Cæsaris legatus in Hispania, de Pompeio triumphauit. Cos. cum C. Trebonio A.V. 708. extrema anni die obiit.

PAVLLVS FABIVS MAX. Cos. cum Q. Ælio A.V. 742.

Q. FABIVS MAX. African⁹, Cos. cũ Iulo Antonio A.V. 743

CORNELIA

XXIII.

CORNELIA MALVGINENSIVM.

SER. CORNELIVS L.F. Maluginensis, Cos. cum Q. Fabio A.V. 268.

L. CORNELIVS Maluginensis Cossvs, Cos. cum Q. Fabio A. V. 294. Antium cepit; & de Volscis Antiatibus triumphauit IV. Id. Maii.

M. CORNELIVS Maluginensis.

P. CORNELIVS Maluginensis Cossvs, Dict. A. V. 345. Volscos ad Antiũ facili p̃lio vicit. Tr. MIL. A. V. 547.

Cn. CORNELIVS Maluginensis Cossvs, TRIB. MIL. A. V. 349.

A. CORNELIVS Maluginensis Cossvs, Cos. cũ T. Quinctio A. V. 325. Larte Tolumnio Veiẽtum rege interfecto, spolia opima secundus à Romulo Ioui consecrauit. TRIB. MIL. & MAG. EQ. Mam. Æmilio Dict. A. V. 327. Cos. II. cum L. Furio A. V. 340.

A. CORNELIVS Maluginensis Cossvs, DICT. R. G. C. A. V. 369. Volscos vicit: castra eorum diripuit: déque eis triumphum egit: M. Manlium seditionis auctorẽ in vincula coniecit. TR. MIL. A. V. 384. & 386.

P. CORNELIVS Cossus ARVINA.

A. CORNELIVS Cossus ARVINA bis egit MAG. EQ. semel T. Manlios Dict. A. V. 400. iterum A. V. 404. bis consulem A. V. 410. 421. semel Dictatorem A. V. 431. De Samnitibus & in priori consulatu, & in Dictatura triumphauit.

P. CORNELIVS Cossus ARVINA, Cos. cum Q. Marcio A. V. 447. in Samnitibus rem prosperè gessit. CENS. cum C. Marcio A. V. 459. Cos. II. cum Q. Marcio A. V. 465.

Cn. CORNELIVS Maluginẽsis Cossvs, TRIB. MIL. A. V. 347.

M. CORN. MALVGINENSIS Decemvir LL. scribendarũ causa creatus A. V. 303.

M. CORNELIVS Maluginensis Cos. cum L. Papisio A. V. 317.

M. CORNELIVS Maluginensis CENS. cum L. Papirio A. V. 361.

P. CORNELIVS Maluginẽsis, bis fuit TRIB. MIL. Cos. pot. A. V. 349. & 356.

SER. CORNELIVS Maluginensis, septies fuit Tribunus militum Cos. potestate, annis V. C. 368. 369. 370. 372. 374. 383. 386.

SER. CORNELIVS Maluginensis MAG. EQ. T. Quinctio Dict. A. V. 392.

M. CORNELIVS Maluginensis TRIB. MIL. A. V. 384. & 386.

A. CORNELIVS Maluginensis.

Cn. CORNELIVS Cossvs Cos. A. V. 344. TRIB. MIL. A. V. 349. & 352. in Capenates p̃fectus.



XXIV.

ÆMILIA MAMERCINORVM PAVLLORVM LEPIDORVM.

L. ÆMILIVS Mam. F. à Mamerco Numæ Regis filio, gentis principe, MAMERCINVS dictus: ter gessit Consulatum: semel cum K. Fabio A. V. 269. quo Volscos & Æquos acri prælio vicit: iterum cum C. Seruilio A. V. 275. vltimò cum Vopisco Iulio A. V. 280.

T. ÆMILIVS MAMERCVS, COS. cum L. Valerio A. V. 283. cum Sabinis rem gessit. Cos. II. cum Q. Fabio A. V. 286.

M. ÆMILIVS Mamercinus, nec magistratu aliquo, nec rebus gestis clarus.

MAM. ÆMILIVS MAMERCINVS, TRIB. MIL. consulari potestate A. V. 315. DICT. anno sequenti, cum Veientibus, Fidenatibus, & Faliscis acerrimè pugnauit; déque eis triumphauit. DICT. II. A. V. 319. quinquennalem censuræ dignitatem in annuam ac semestrem redegit. DICT. III. A. V. 327. iterum de Fidenatibus ac Veientibus, vrbe illorum capta & direpta victoriam & triumphum reportauit.

MAM. ÆMILIVS MAMERCINVS COS. cum C. Valerio A. V. 343. ter exinde Tribunatum militarem consulari potestate tenuit, annis V. C. 347. 350. 352.

M.' ÆMILIVS MAMERCINVS TR. MIL. A. V. 362.

L. ÆMILIVS MAMERCINVS, quinquies TR. MIL. annis V. C. 365. 367. 371. 372. 377. Latinos & Volscos ad Satricum fudit: castráque eorum diripuit.

L. ÆMILIVS MAMERCINVS, bis egit Magistrum Equitum, M. Furio Camillo, & C. Iulio Dictatoribus: bis quoque Consulem, semel cum L. Sextio A. V. 387. iterum cum Cn. Genucio A. V. 390.

T. ÆMILIVS Mamercinus COS. cum Q. Publilio A. V. 412.

L. ÆMILIVS MAMERCINVS, MAG. EQ. M. Valerio Dictatore A. V. 411. Cos. cum C. Plautio A. V. 412. DICT. COMIT. HAB. causa A. V. 418. Cos. II. cum eodem collega C. Plautio, ob Priuernates deuictos PRIVERNATIS cognomen meruit. DICT. II. R. G. C. anno V. C. 437.

M. ÆMILIVS PAVLLVS COS. cum M. Liuio A. V. 450. MAG. EQ. Q. Fabio Dict. A. V. 451.

M. ÆMILIVS PAVLLVS COS. cum Ser. Fuluio A. V. 498. de Cossurensibus & Pœnis triumphum egit naualem XII. Kal. Februarii.

M. ÆMILIVS LEPIDVS COS. cum M. Poblicio. A. V. 521.

M. ÆMILIVS LEPIDVS Pontifex Max. præturam gessit A. V. 562. consulatum cum C. Flaminio A. V. 566. iterum cum P. Mucio A. V. 578. Censuram cum M. Fuluio A. V. 574.

L. ÆMILIVS PAVLLVS primo Consulatu, quem gessit cum M. Liuio A. V. 534. Illyrios rebellantes in deditionem accepit: Pharium regem ipsorum profligauit: de eisque triumphauit. Altero, quem gessit cum C. Terentio A. V. 537. in prælio Cannensi fortiter pugnans occubuit.

L. ÆMILIVS PAVLLVS, PR. A. V. 562.

M. ÆMI-

† M. ÆMILIVS LEPIDVS Porcina, Cos. cum C. Hostilio A. V. 616.

MAM. ÆMILIVS LEPIDVS, Cos. cum L. Aurelio A. V. 627.

M'. ÆMILIVS LEPIDVS Liuianus, Cos. cum D. Bruto A. V. 676.

M. ÆMILIVS LEPIDVS Cos. cum L. Volcatio A. V. 787.

Q. ÆMILIANVS LEPIDVS Cos. cum M. Lollio A. V. 732.

Q. ÆMILIVS LEPIDVS nullos magistratus gessit, ideóq; ignobilis.

M. ÆMILIVS LEPIDVS, Cos. cum Q. Luctatio A. V. 675. acta Syllæ conat⁹ rescindere, bellum excitauit. A. Q. Catulo collega Italia pulsus, in Sardiniam fugit: vbi bellum frustrà molitus, extinctus est morbo anno proximo.

* Consulatum aliquoties frustrà petiit. Quæ tamen iniuriæ animum eius non fregerunt, sed acuerunt. Etenim quum iam campum suis repulsis fatigasset: post nouennium à prætura factus Cos. cum Liguribus Ingaunis feliciter pugnauit: déque iis triumphauit. Cos. II, A. V. 585. Perseum Macedonum Regem apud Pidnam III. Non. Sept. ingenti prælio fusum fugatúmque castris exuit: profugum in insulam Samothraciam insecutus, viuum in potestatem redegit: cúmque in triumpho duxit. In Censuræ honore defunctus A. V. 589. Ob eius paupertatem dos vxori, nisi venditis possessionibus, non potuit exsolui.

ÆMILII duo ἀνώνυμοι: quorum alter duodecennis quinque diebus ante patris triumphum; alter XIV. natus annos, triduo post patris triũphum obiit.

ÆMILIA vxor Q. Ælii Pæti.

Tertia ÆMILIA vxor P. Corn. Scipionis Africani.

M. ÆMILIVS LEPIDVS, PR. A. V. 704. Cæsarem Dictatorem dixit: cui triennio pòst in consulatu collega, & mox insequenti anno eidem Dictatori MAG. EQ. fuit. TRIVMVIR creatus cum Augusto & Antonio, per diuisionem sortitus est Africam: vbi quum insolentiùs & negligentiùs rem ageret, post quinquennium ab Augusto acie victus, eóque se honore abdicare coactus, vitam Romæ deinceps egit ingloriam.

M. ÆMILIVS LEPIDVS, quum in Augustum Cæsarem coniurasset, à Mæcenate est occisus.

M. ÆMILIVS LEPIDVS Cos. A. V. 763.

PAVLVS ÆMILIVS LEPIDVS, à fratre Triumviro proscriptus: à Cæsare Augusto creatus CENSOR cum L. Munacio A. V. 731. priuatus eam dignitatem gessit.

L. ÆMILIVS PAVLVS, maritus IVLIÆ M. Agrippæ filiæ, neptis Augusti Cæsaris.

ÆMILIA Lepida, vxor Tib. Claudii Drusi Imp.



XXV.

MANLIA.

CN. MANLIVS P. F. Vulso, Cos. cum M. Fabio A. V. 273. in prælio cum Veientibus occisus.

A. MANLIVS Vulso, Cos. cum L. Furio A. V. 279. in Veientes profectus, coegit eos sine pugna ad deditionem descendere: qua de causa pedestris ei à Senatu decretus triumphus.

L. MANLIVS Vulso TR. MIL. COS. pot. A. V. 331.

A. MANLIVS Vulso CAPITOLINVS, TR. MIL. COS. POT. fuit ter, Annis nimirum V. C. 348. 351. 356.

M. MANLIVS Vulso TR. MIL. A. V. 333.

M. MANLIVS, CAPITOLINVS, Cos. cum L. Valerio A. V. 361. triginta cæsorũ hostium spolia retulit: XL. ab Impp. dona accepit: in his duas murales coronas, ciuicas octo. Capitolium à Gallis defendit: vnde CAPITOLINI cognomẽ meruit. Tandem ob affectati regni crimen ad populum accusatus à tribunis plebis: in luco Petelino Comitiis cẽturiatis damnatus est, atq; de saxo Tarpeio deiectus A. V. 370.

A. MANLIVS CAPITOLINVS, quater fuit TR. MIL. annis V.C. 365. 369. 371. 383.

L. MANLIVS CAPITOLINVS, ob seueritatem delectus in Dictatura, quam gessit A. V. 390. habiti; & quòd filium sub adolescentiæ limine ad domesticos & Reipub. vsus aliquanto inidoneum visum, rus relegasset; IMPERIOSVS appellatus.

P. MANLIVS Capitolinus TR. MIL. annis V.C. 375. & 386.

A. MANLIVS Vulso Longus.

L. MANLIVS Vulso LONGVS, Cos. cũ Q. Cædicio A. V. 497. de Pœnis naualem egit triumphum.

T. MANLIVS CAPITOLINVS TORQVATVS, patrem à M. Pomponio Trib. pl. accusatum liberauit. Bello Gallico, Gallũ ex prouocatione interfecit, & aureo torque spoliauit: vnde TORQVATI nomen accepit. Ter DICT. & toties COS. fuit. Carites in deditionem accepit: de Latinis, Campanis, Sedicinis, Auruncis, quos sua virtute, collegæ Decii morte, vicerat, amplissimè gloriosissiméque triumphauit A. V. 413.

CN. MANLIVS Capitolinus IMPERIOSVS, bis Cos. semel cum M. Popillio A. V. 394. iterũ cũ C. Marcio A. V. 396 CENS. cum eodem C. Marcio A. V. 402.

T. MANLIVS Capitolinus TORQVATVS, à patre, quòd aduersus imperium eius cum hostibus manus conseruerat, securi percussus A. V. 413. Bellator strenuus & fortis.

T. MANLIVS Capitolinus TORQVATVS, Cos. cum M. Fuluio A. V. 454. in magistratu mortuus est.

M. MANLIVS TORQVATVS, Cos. cum C. Atilio A. V. 518. Sardos rebellantes subegit, deq; eis triumphauit. Cos. II. cum T. Fuluio A. V. 519. primus trans Padum legiones duxit Romanas: vbi cum Insubribus Gallis pugnans, XXIII. millia interfecit, quinque millia cepit. DICT. Comitiorum ludorúmque faciendorum caussa A. V. 545.

A. MANLIVS TORQVATVS, CENS. cum A. Atilio A. V. 506. Cos. cum C. Sempronio A. V. 509. Cos. II. cum Q. Lutatio A. V. 512. cum collega bellum Faliscis intulit: quod intra sex dies, quàm venerat, transegit, quindecim millibus hostium cæsis.

T. MANLIVS TORQVATVS, PR. A. V. 583. Cos. cum Cn. Octauio A. V. 588. Eum Valerius lib. 5. cap. 8. iuris ciuilis & sacrorum pontificalium peritissimum vocat.

A. MANLIVS Torquatus PR. A. V. 586. Cos. cum Q. Cassio A. V. 589.

T. MANLIVS TORQVATVS, PR. Macedoniam prouinciam sortitus, eam spoliauit; socios vexauit & diripuit. Accusatum à Macedonum legatis, T. pater causam apud se dicere iussit: réque ex vtraque parte audita, pronunciauit; Non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent: & in conspectum suum venire vetuit.

QVIN-



XXVI.

QVINCTIA CAPITOLINORVM.

T. QVINCTIVS CAPITOLINVS Barbatus, Cos. cum Ap. Claudio A.V. 282. rem gessit in Æquos, qui inter seditionem Romanam agros vastauerant. Cos. II. cum Q. Seruilio A.V. 285. de Antiatibus triumphauit. Cos. III. cum Q. Fabio A.V. 288. ab Æquis fines Romanos depopulantibus prædam recuperauit. Cos. IV. cum Agrippa Furio A.V. 307. Æquos Volscósq;, qui ad mœnia ipsa Romæ rursus populabundi venerant, fudit; triumphum tamen non postulauit, nec ipsi à Senatu delatus est. Cos. V. cum M. Geganio A.V. 310. æquauit togatus, armati gloriam collegæ: concordiæ pacisque domesticæ curam in vrbe infimis pariter & summis summè moderando. Cos. VI. cum Agrippa Menenio A.V. 314. L. Quinctium Cicinnatum Dictatorem dixit.

T. QVINCTIVS Capitolinus Barbatus, Cos. cum N. Fabio A.V. 332.

T. QVINCTIVS CAPITOLINVS Barbatus TRIB. MIL. COS. POT. A.V. 348.

T. QVINCTIVS Capitolinus TR. MIL. & MAG. EQ. A. Cornelio Dictatore A.V. 369.

Q. QVINCTIVS Capitolinus TRIB. MIL. A.V. 384.

L. QVINCTIVS CAPITOLINVS TR. MIL. A.V. 369.

L. QVINCTIVS Capitolinus TR. MIL. A.V. 385.



XXVII.

QVINCTIA CINCINNATORVM.

L. QVINCTIVS L.F.L.N. CINCINNATVS, P. Valerio Poplicolæ in oppugnatione Capitolii occiso, in consulatu suffectus A.V. 293. DICT. biennio pòst, L. Minucium Cos. obsidione Æquorum liberauit: hostes in deditionem accepit: de eísque triumphauit. DICT. II. octogenarius, Sp. Melium regnum affectantem à C. Seruilio Ahala Mag. Eq. iure cæsum videri pronunciauit A.V. 314.

L. QVINCTIVS CINCINNATVS, TR. MIL. COS. POT. A.V. 315. & 328. MAG. EQ. A.V. 316.

T. QVINCTIVS CINCINNATVS TR. MIL. A.V. 338.

Q. QVINCTIVS Cincinnat' TR. MIL. A.V. 348.

T. QVINCTIVS CINCINNATVS, TRIB. MIL. A.V. 366. DICT. A.V. 374. Prænestinis ad Aliam fu-

C. QVINCTIVS Cincinnatus TR. MIL. A.V. 377.

K. QVINCTIVS CINCINNATVS, fortissimo animo iuuenis, quum tribunos plebis foro deiecisset: accusatus ad populum, ante diem iudicii in exilium abiit.

T. QVINCTIVS CINCINNATVS bis fuit Cos. A.V. 322. & 325. bis item TR. MIL. A.V. 327. & 333.

L. QVINCTIVS CINCINNATVS, TR. MIL. COS. POT. A.V. 368.

gatis, & Præneſte ipſo capto, triumphum egit nobiliſſimum.

T. QVINCTIVS CINCINNATVS, MAG. EQ. M. Furio Camillo Dict. A.V. 386.




XXIIX.

QVINCTILIA.

SEX. QVINCTILIVS, Sex. F. P. N. VARVS, Cos. cum P. Curiatio A.V. 300. in magiſtratu obiit.

M. QVINCTILIVS VARVS TRIB. MIL. A.V. 350.

Cn. QVINCTILIVS VARVS, DICT. A.V. 422.



XXIX.

PAPIRIA MVGILLANORVM.

L. PAPIRIVS MVGILLANVS, Cos. cum L. Sempronio A.V. 309. CENS. cum eodem collega anno ſeq. Cos. II. cum Q. Seruilio A.V. 326.

L. PAPIRIVS MVGILLANVS TR. MIL. A.V. 331.

M. PAPIRIVS MVGILLANVS TR. MIL. A.V. 335. & 337. Cos. cum C. Nautio A.V. 342.



XXX.

PAPIRIA CRASSORVM.

M. PAPIRIVS CRASSVS, Cos. cum C. Furio A.V. 312.

L. PAPIRIVS CRASSVS, Cos. cum M. Cornelio A.V. 317. Cos. II. cum L. Iulio A.V. 323. CENS. cum P. Poſtumio A.V. 335.

L. PAPIRIVS CRASSVS, primus Papiſius vocari deſitus, DICT. R.G.C. an. V.C. 415. Cos. cum K. Duilio A.V. 417. Cos. II. cum L. Plautio A.V. 423. MAG. EQ. L. Papirio Dict. A.V. 429. CENS. cum Mainio A.V. 435.

M. PAPIRIVS Craſſus, Dict. R.G.C. anno V.C. 421.

L. PAPIRIVS CRASSVS, MAG. EQ. T. Manlio Dictatore A.V. 433.



XXXI.

SERGIA.

C. SERGIVS, C. F. à Sergeſto comite Æneæ oriundus, cætera obſcurus. Huius fortè frater fuit M. SERGIVS Decemvir LL. ſcribendarum cauſa electus A.V. 303.

L. SERGIVS C. F. C. N. Cos. cum M. Geganio A.V. 316. in hoc honore à bello

bello Fidenati FIDENAS appellatus est. Primus enim cum Veientium rege cis Anienem secundo prælio conflixit: nec incruentam victoriam retulit. Cos. II. cum Hosto Lucretio A. V. 324. Ter quoque TRIB. fuit MIL. consulari potestate, annis V.C. 320. 328. 335.


L. SERGIVS FIDENAS TR. MIL. A.V. 356.

M. SERGIVS FIDENAS, TR. MIL. consulari potestate A.V. 349. & 351.

M. SERGIVS FIDENAS Quæstor, T. Quinctio Trogo capitis anquisiuit.

Cn. SERGIVS FIDENAS TRIBVNVS militum A.V. 367. & 374.

Ex hac quoque gente fuit L. SERGIVS CATILINA, homo ex contrariis diuersisq; inter se pugnantibus naturæ studiis & cupiditatibus conflatus: in quo permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum erant: quæ multis maximisque obscurata & deformata vitiis elucescere nullo modo poterant. Accusatus bis, & absolutus est. Semel repetundarum accusatus à P. Clodio, quum Proprætor Africam prouinciam superbè, auarè, crudeliter administrasset; socios spoliasset & diripuisset; absolutus est præuaricante Clodio: iterum inter sicarios, à L. Lucullo; quod Sulla dominante complures peremisset. Ter consulatum petiit, bis repulsam tulit. In Senatum semel atque iterum coniurauit. Tandem à M. Petreio Antonii Cos. legato, in agro Pistoriensi cum exercitu est deletus A. V. 690.



XXXII.

LICINIA CRASSORVM.

P. LICINIVS CALVVS, primus è plebe TR. MIL. consulari potestate A. V. 353.

P. LICINIVS CALVVS TRIB. MIL. A.V. 357.

P. LICINIVS VARVS.

C. LICINIVS VARVS Cos. cum P. Cornelio A. V. 517.

P. LICINIVS CRASSVS PR. A.V. 577. Cos. cum C. Cassio A.V. 582. à Perseo Macedonum rege victus; iterum cum ipso cõgressus, feliciore euentu conflixit.

C. LICINIVS Crassus Cos. cum L. Æmilio A.V. 585.

P. LICINIVS CRASSVS Diues Pontifex Max. MAG. EQ. Q. Fuluio Dictatore A.V. 543. eodemq; anno Cẽsor, collega L. Veturio defuncto, censura se abdicauit. PR. A. V. 545. Cos. cum P. Cornelio A.V. 548. Eum nunquam risisse; ob eámque causam Agelastum appellatum; refert Plinius lib. 7. c. 19.

C. LICINIVS Caluus.

C. LICINIVS CALVVS TR. MIL. Cos. pot. A. V. 366. Inde TR. PL. cum L. Sextio quinquennium sine curuli magistratu Rẽpubl. administrauit. Idem primus ex plebe MAG. EQ. fuit P. Manlio Dictatore A. V. 385. Cos. cum C. Sulpicio A.V. 389.

P. LICINIVS CRASSVS DIVES, Scęuolæ frater à Cicerone in libris de Oratore dictus; & à Velleio MVCIANVS, adoptatus nimirum ex gente Mucia in familiam Crassorum: vir ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus, iurisconsultissimus, Pontifex maximus. Cos. cum L. Valerio A. V.

M. LICINIVS CRASSVS, quem Cicero fratrem P. Mucii appellat: & ædilitatem petiisse scribit lib. 1. de Orat.

P. LICINIVS CRASSVS, Cos. cum Cn. Cornelio A. V. 656. PROCOS. aduersus Lusitanos prosperè pugnauit: déque Hi-

622. Procos. ab Aristonico acie victus & interemptus.

L. Licinivs Crassvs, Orator, Cos. cum Q. Mucio, cui in aliis quoque magistratibus, præterquam in tribunatu plebis & censura, prouinciam Galliam obtinuit: vbi latronibus confectis, Romam reuersus, triumphum petiit: verùm intercedente collega non impetrauit A. V. 658. Anno tandem 662. quum Idib. Sept. in Philippum Cos. summa cum auctoritate in Senatu perorasset, in febrim incidit: diéque ab hinc septimo lateris dolore est consumptus.

L. Licinivs Crassvs. Huius Plinius meminit lib. 34. cap. 3.

spanis triumphauit. Bello dehinc ciuili Mariano, ne in manus hostium incideret, seipsum interemit.

M. Licinivs Crassvs Dives, Pr. A.V. 682. primus cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnauit: cæsis hostium xxxv. millibus, cũ duce ipsorum Granico. Cum Spartaco deinde bellauit: cæsis cum ipso XL. millibus. De his ouans in Vrbem cum laurea primus est ingressus. In consulatu bis fuit collega Cn. Pompeii A.V. 683. & 698. Procos. belli gerendi, & pecuniæ cumulandæ cupidus, ex Syria prouincia in Parthos, absque vlla aut Senatus auctoritate aut populi iussu, exercitum ducens: ab hostibus victus, vna cum filio & toto fermè exercitu trans Euphratem maxima cum ignominia & dedecore periit A. V. 700.


P. Licinivs Crassus, ab equitib. Fimbriæ bello Mariano occisus.

M. Licinivs Crassvs Cæsari in Gallia militauit: maritimas ciuitates, quæ Oceanum attingunt, in deditionem accepit: in Aquitaniam missus cum exercitu, Sontiates, Vocates, Tarusates profligauit; maxima Aquitaniæ parte subacta. Ad bellum tandem Parthicum à Cæsare missus, in prælio occidit A. V. 700.

M. Licinivs Crassvs Cos. cum C. Iulio. A. V. 723.

M. Licinivs Crassvs Cos. cum Cn. Cornelio A.V. 739.

P. Licinivm Crassvm Plutarchus in Cicerone Digno cuidam similẽ fuisse refert: ac propterea matrẽ impudicitiæ à plerisq; notatam.



XXXIII.

CORNELIA SCIPIONVM.

P. Cornelivs Scipio, Mag. Eq. M. Furio Camillo Dict. A. V. 357. Tr. mil. A.V. 358. & 359. Faliscum bellum gessit.

P. Cornelivs Scipio, primus Ædilis Curulis A.V. 387.

P. Cornelivs Scipio, Mag. Eq. L. Fvrio Camillo Dict. A.V. 403.

P. Corn. Scipio Barbatus, Dict. comitiorum habendorum causa A. V. 447.

L. Corn. Scipio, Mag. Eq. Ap. Claudio Dict. A.V. 391. Cos. cum M. Popillio A. V. 403.

Cn. Corn. Scipio, nullum gessit magistratum.

L. Cornelivs Scipio, Cos. cum Cn. Fuluio A.V. 455.

L. Cornelivs Scipio, Cos. cum C. Aquilio A. V. 494. contra Sardos, Corsos, & Annonem Pœ-

Cn. Corn. Scipio Asina Cos. cum C. Duilio A. V

norum

† norum ducem feliciter pugnauit: de iisdémque triumphauit V. Id. Martii.

L. CORN. SCIPIO Hispalus.

Cn. CORN. SCIPIO Hispalus Pontifex Max. Pr. A. V. 574. COS. cum Q. Petilio A. V. 577. ex Albano monte rediens concidit: & parte membrorũ captus, ad Aquas Cumanas pfectus; ingrauescẽte morbo Cumis decessit.

Cn. CORN. SCIPIO HISPALVS, PR. A. V. 614. Hispaniam prouinciam est sortitus. Eum repetundarum lege damnatũ scribit Valerius lib. 6. cap. 3.

CN. CORNELIVS SCIPIO CALVVS, COS. cum M. Claudio A. V. 531. In Hispaniam PROCOS. missus, vt Asdrubalem Hannibalis fratrem inde expelleret, cum Annone bene pugnauit A. V. 535. Octauo tandem, quàm in Hispaniam venit, anno Punica fraude periit die vndetrigesimo post Publium fratrem A. V. 541.

P. CORN. SCIPIO NASICA, PR. A. V. 559. togatæ potentiæ lumen: Vir optimus à Senatu iudicatus; Idęam matrem bello Punico secũdo è Phrygiis sedib. in Vrbem vexit: multásq; & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit. COS. cum M. Acilio A. V. 562. Boios Gallos acie vicit: castris exuit: de eis triumphauit.

P. CORNELIVS SCIPIO NASICA: Corculum appellatus, Ædilis Curulis A. V. 584. Cos. cum C. Marcio A. V. 591. vitio factus abdicauit. CENS. cum M. Popilio A. V. 594. Cos. II. cum M. Claudio A. V. 598. Dalmatas, Delminio vrbe illorum expugnato, subiugauit.

P. CORN. SCIPIO Nasica Serapion, primus absens PONT. MAX. factus. Cos. A. V. 615. à P. Curiatio Trib. pl. in vincula est coniectus. Tib. Gracchũ priuatus interfecit. Ipse decessit Pergami, quum libera ipsi à Senatu in Albam legatio esset decreta.

P. CORN. SCIPIO Nasica COS. cum L. Calpurnio A. V. 642. in magistratu obiit.

P. CORN. Scipio Nasica, nullum gessit magistratum.

P. CORNELIVS SCIPIO Nasica, Cos. cum L. Domitio A. V. 737.

P. CORNELIVS SCIPIO, COS. cum T. Sempronio A. V. 535. in Italia Hannibali, ex Alpib. descendenti, ad Ticinum se opponens: acie abs illo est fusus. PROCOS. Hispaniam prouinciam administrauit. Ad extremum post multa secunda prælia cũ Pœnis facta, tandẽ ab Asdrubale insidiis circũuentus; inter pugnãdũ, quũ se fortiter laboribus offerret; lancea ictus cecidit A. V. 541.

P. CORNELIVS SCIPIO qui posteà AFRICANVS est appellatus, adolescens XIIX. annorum patrem apud Ticinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes, Italiã deserere cupientes, sua auctoritate cõpescuit: reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. XXIV. annos natus, extra ordinem in Hispaniã cum cõsulari missus imperio, quod reliq. omnes post duos occisos Scipiones recusabãt,

L. CORN. SCIPIO pòst ASIATICVS dictus legatus fratris in Hispania. Cos. cum C. Lęlio A. V. 563. Asiam & bellum contra Antiochum Regẽ obtinuit. Eò cum Africano fratre legato profect⁹: Regem apud Sipylum montẽ ad Magnesiã acie vicit: bellóq; confecto, de Antiocho PROCOS. triumphauit prid. Kal. Martii. Accusatus à tribunis plebis pecuniæ acceptæ ab Antiocho ob pacem dãdam damnatus est A. V. 566.

A. V. 493. ab Hannibale Pœnorum Duce apud Liparas fraudulenter, vtpote in colloquium euocatus, captus est. Cos. II. cum C. Atilio A. V. 499. Panormum Pœnorũ vrbem obsidione cepit: & de Pœnis triumphauit.

P. CORNELIVS SCIPIO ASINA, Cos. cum M. Minucio A. V. 532. de Istris subactis triũphum egit.

A.V.542. Carthaginem Nouam vno die expugnauit: virginem captiuam ad se adductam, ad parentes & sponsum intactam remisit: cum Asdrubale Barchino feliciter pugnauit, eum castris exuit, & in fugam conuertit: Asdrubalem & Magonem Hannibalis fratres, Hispania expulit; eam in potestatem populi Rom. redegit. Rebus feliciter gestis, in Vrbem reuersus: argenti magnum numerum in ærarium tulit. Triumphus illi, quod sine magistratu res gessisset, negatus. Cos. inde cum P. Licinio A. V. 548. creatus: à Syracusis in Bruttios traiecit: & Locros vrbem, quæ ad Pœnos sub defectionem Italiæ desciuerat, pulso Punico præsidio, fugatóq; Hannibale, recepit. PROCOS. Syphacem Numidiæ Regem, & Asdrubalem Carthaginensium ducem profligauit: castra eorum incendit: Syphacem Regem cepit: quem postea in triumpho, Tybure haud multo antè extinctum, duxit: Hannibale extremo prælio in Africa victo, Carthaginensibus pacem dedit: clarissimóque omnium triumpho Vrbem est inuectus A. V. 552. Cos. II. cum T. Sempronio A. V. 559. à populari consessu senatoria subsellia separauit. Linterni tādem, quò se post fratris damnationem contulerat, decessit A. V. 569. Vxor ÆMILIA, L. Æmilii Paulli F. tertia, quum videret, maritum liberiùs, quam fides coniugalis patitur, cum ancillula quadam sua consuesse, patientissimè dissimulauit: ne orbis domitorem, magnúmque virum fœmina impatientiæ reum ageret.

L. CORN. SCIPIO Asiaticus.


L. CORN. SCIPIO ASIATICVS, Cos. cum C. Norbano A. V. 670. victus à Sulla, Massiliæ exulauit.

P. CORN. SCIPIO AFRICANVS, Augur, Ædilis, Orator.

P. CORN. SCIPIO AFRICANVS ÆMILIANVS, Tribunus militum, prouocatorem barbarum occidit; & in expugnatione Intercatiæ vrbis murum primus omnium transcendit A.V. 602. Ab Asdrubalis autem impetu fortissimè se liberauit. Anno inde V. C. 606. ædilitatem petiturus in campum descendens: vniuersi populi consensu Cos. creatus est, senatu nonnihil repugnante. Bellum Punicum tertium gessit: Carthaginem magno labore obsessam per partes cepit, euertitque: de Pœnis & Asdrubale triumphauit. Iterum magna populi voluntate factus Cos. A.V.619. Numantiam diuturna obsidione pressam, tandem captam excidit: déque Numantinis triumphauit. Ad extremum suscepta Agrariorum caussa, domi repentè concidit exanimis, non sine veneni suspicione, à SEMPRONIA vxore, Gracchorum sorore, quibus cum simultas ipsi erat, subministrati A.V.624. ætatis suæ LVI.

CORNELIA mater C. & T. Gracchorum.

CN. CORN. SCIPIO AFRICANVS, captus ab Antiocho Rege patri est restitutus. PR. A.V. 576. Galliam prouinciam obtinuit.



XXXIV.

PAPIRIA CVRSORVM.

L. PAPIRIVS CVRSOR, CENS. cum C. Iulio A. V. 361. TR. MIL. COS. POT. A. V. 367. & 369.

Sp. PAPIRIVS CVRSOR, nullum magistratum adeptus est.

Sp. PAPIRIVS CVRSOR MAG. EQ. L. Papirio Dict. A.V. 413.

L. PAPIRIVS CVRSOR quinquies Cos. bis DICT. fuit: déque Samnitibus ter triumphauit, annis nimirum V. C. 429. 434. & 444.

L. PAPI-

L. PAPIRIVS CVRSOR, MAG. EQ. L. Cornelio Dict. A.V.433. Cos. cum Sp. Caruilio A. V. 460. ædem Quirini dedicauit: & in eadem horologium solarium statuit. De Samnitibus item triumphum egit. Cos. II. cum eodem collega A. V. 481. de Samnitibus & Tarentinis iterum triumphauit.

Sp. PAPIRIVS CVRSOR.

Sp. PAPIRIVS CVRSOR, bello Samnitum à patruo Cos. armilla & corona virtutis ergo donatus.

XXXV.

AQVILIA.

C. AQVILIVS Sabinus, nepos C. Aquilii Cos. cum T. Sicinio A.V.266. qui de Volscis & Hernicis ouans vrbem fuit ingressus: ipse nullum magistratum gessit.

M. AQVILIVS Sabinus ignobilis.

C. AQVILIVS FLORVS, Cos. cum L. Cornelio A.V.494.

L. AQVILIVS CORVVS TRIB. MIL. A. V.367.

Ab his ortus

M. AQVILIVS M. F. M. N. GALLVS, Cos. cum C. Sempronio A.V.624. Asiatici belli reliquias confecit.

M'. AQVILIVS GALLVS, Cos. cum C. Mario A.V.652. Hic pòst legatus, à Mithridate rege captus, atq; per contumeliam excruciatus est.

C. AQVILIVS GALLVS, PR. PECVLAT. A.V.687. Summus fuit Iureconsultus.

XXXVI.

POPILLIA.

M. POPILLIVS M.F.C.N. LÆNAS, Flamen Carmentalis, Cos. cum C. Manlio A.V.394. Hoc in honore quum eodem tempore sacrificium publicum cum læna faceret (erat namque flamen Carmentalis) plebis contra patres concitatione nunciata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem: seditionémquecùm auctoritate tum oratione sedauit. Cos. II. cum M. Fabio A.V. 397. in Tiburtes profectus, rem prosperè gessit. Cos. III. cum L. Cornelio A. V. 403. Gallorum exercitum, qui in agro Latino consederat, profligauit: de iisque triumphauit. Cos. IV. cum M. Valerio A. V. 405. CENS. cum M. Fabio A.V.407.

M. POPILLIVS LÆNAS Cos. cum Sp. Nautio A.V.437.

Fuit exinde absque magistratibus Popilliorum gens annis plus minus CXL.

P. POPILLIVS, P.F. LÆNAS.

M. POPILLIVS LÆNAS, PR. A. V.577. Cos. cum L. Posthumio A.V.580. aduersus Ligures bellum gessit: Statel-


C. POPILLIVS Lænas, Cos. cum P. Ælio A.

latibus deditis arma ademit: ipsos bonáque ipsorum vendidit. CENS. cum P. Cornelio A. V. 594.

M. POPILLIVS LÆNAS, COS. cum Cn. Calpurnio A. V. 614.

V. 581. vterque è plebe tunc primi creati. Cos. II. cum M. Æmilio A. V. 595.

P. POPILLIVS Lænas COS. cum P. Rupilio A. V. 621.



XXXVII.

PLAVTIA.

P. PLAVTIVS P. F. Proculus.

C. PLAVTIVS PROCVLVS COS. cum M. Fabio A. V. 395. Hernicos deuicit. MAG. EQ. C. Marcio Dict.

C. PLAVTIVS PROCVLVS Cos. cum T. Manlio A. V. 406. COS. II. cum L. Æmilio A. V. 412. Priuernates acie vicit, eorumq; vrbem expugnauit.

C. PLAVTIVS PROCVLVS, COS. cum P. Cornelio A. V. 425. CENS. cum Ap. Claudio A. V. 441. in hoc honore VENOX est appellatus, ob inquisitas aquæ venas.

Horum procul dubio agnatus est

L. PLAVTIVS L. F. VENNO COS. cum L. Papirio A. V. 423. quo bellum Priuernum initum.

L. PLAVTIVS VENNO, Cos. cum M. Fossio A. V. 435.

P. PLAVTIVS PROCVLVS.

C. PLAVTIVS DECIANVS, Cos. cum L. Æmilio A. V. 424. Priuernum cepit, déque Priuernatibus triũphauit.



XXXIIX.

MARCIA RVTILORVM.

C. MARCIVS L. F. C. N. RVTILVS, Pontifex, COS. cum Cn. Manlio A. V. 396. de Priuernatibus triumphauit Kal. Iunii. Idem primus è plebe DICT. creatus anno insequenti, de Tarquiniensibus & Faliscis sine Patrum iussu triumphauit Prid. Non. Maii. COS. II. cum P. Valerio A. V. 401. Idem CENSOR primus è plebe factus A. V. 402. Cos. III. cum T. Manlio A. V. 409 Cos. IV. cum Q. Seruilio A. V. 411.

C. MARCIVS RVTILVS, COS. cum Q. Fabio A. V. 443. Censuram postea nouo exemplo bis cepit: semel cum P. Cornelio A. V. 459. iterum cum Cn. Cornelio A. V. 488. vnde CENSORINI cognomen obtinuit.



XXXIX.

MARCIA PHILIPPORVM.

Q. MARCIVS Q. F. Q. N. TREMVLVS, COS. cum P. Cornelio bis creatus A. V. 447. & 465, priore consulatu Hernicos trinis castris intra paucos dies exuit: gentem in deditionem accepit & de iisdẽ triumphans in Vrbem rediit prid. Kal. Quintiles: statuáq; ipsi equestris rogata ante ędẽ Castoris est posita.

Q. MARCIVS PHILIPPVS, COS. cum L. Æmilio A. V. 472. de Etruscis triumphauit. MAG. EQ. Cn. Fuluio Dict. A. V. 490.

L. MAR-

L. MARCIVS PHILIPPVS, nulla reclarus.

Q. MARCIVS PHILIPPVS PR. A.V. 565. Cos. biennio pòst cum Sp. Postumio, in Ligures est profectus. Cos. II. cum Cn. Seruilio A.V. 584. in Macedoniam per saltus inuios penetrans: improuiso ac inopinato aduentu suo ita Regi metum incussit: vt abiecto auro, ne in victoris manus veniret, fugam ceperit. Quo belli impetu complures hic vrbes occupauit.

Q. MARCIVS PHILIPPVS.

L. MARCIVS PHILIPPVS, Cos. cum Sex. Iulio A. V. 662. Vir magno ingenio, inprimísque clarus: qui gloriari solebat se sine vllo munere adeptum esse omnia, quę haberentur amplissima. A Druso tandem in vincula coniectus.

C. MARCIVS FIGVLVS fuit sine honoribus.

C. MARCIVS FIGVLVS, PR. A.V. 584. COS. cum P. Cornelio A. V. 591. Galliam prouinciam obtinuit. COS. II. cum L. Cornelio A.V. 597. aduersum Dalmatas parũ prosperè primùm, postea feliciter pugnauit: & ad Delminium vsq; vrbẽ profligauit.

C. MARCIVS FIGVLVS.

C. MARCIVS FIGVLVS.

C. MARCIVS FIGVLVS, Cos. cũ L. Iulio A.V. 689.

L. MARCIVS CENSORINVS, COS. cum M. Manilio A.V. 604. quo bellum Punicum tertium est initum. CENS. cum L. Cornelio A. V. 606.

L. MARCIVS CENSORINVS: de quo nihil accepimus.

L. MARCIVS CENSORINVS, COS. cum C. Caluisio A.V. 714. triumphauit ex Macedonia.

C. MARCIVS CENSORINVS Cos. cum C. Asinio A.V. 745.



X L.

LIVIA.

C. LIVIVS DENTER, MAG. EQ. C. Claudio Dictatore A.V. 405.

M. LIVIVS DENTER nullum magistratum gessit.

M. LIVIVS DENTER, Pontifex, Cos. cum M. Æmilio A.V. 451.

M. LIVIVS SALINATOR, Cos. cum L. Æmilio A.V. 534. de Illyriis triumphauit: at populi iudicio est damnatus, quòd prædam æqualiter non diuisisset. COS. II. cum C. Claudio A. V. 546. Asdrubalem cum toto exercitu ad Senam oppidum deleuit, & de Pœnis triumphauit. CENS. cum C. Claudio A.V. 549. præter Metiam tribum, populum Rom. omnem, XXXIV. tribus in censura notauit leuitatis nomine: quòd quum ipsum secundum priorem consulatum mulcta irrogata damnassent, iterum Consulem & Censorem creassent.

C. LIVIVS Salinator PR. A.V. 562. COS. cum M. Valerio A. V. 565.

M. LIVIVS DRVSVS, duce hostium Druso cominus trucidato, sibi posterísque suis cognomen iuuenit. PROPR. ex prouincia Gallia aurum retulit, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum.

C. LIVIVS DRVSVS, COS. cum P. Cornelio Scipione A. V. 606.

M. LIVIVS DRVSVS, TRIB. PL. A.V. 631. ob eximiam aduersus Gracchos operam; Patronus

C. LIVII DRVSI, cæci domus consultoribus compleri solita.

Senatus appellatus est. Cos. cum L. Calpurnio A. V. 641, Scordiscos in Thracia vicit, deque iis triumphauit. Cens. cum M. Æmilio A. V. 645. in eo magistratu obiit.

M. Livivs Pontifex, Trib. Pl. A. V. 662. vir, Paterculo auctore, nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus: Senatui iudicia, quæ Sempronia lege ad equites erant translata, restituere enituit. Quod beneficium quum sperni à Senatu videret, ad plebem se cōtulit: & legem de ciuitate sociis danda promulgauit. Reuersus è foro, in atrio suæ domus cultello percussus, intra paucas horas decessit: & leges eius omnes SC. sunt abrogatæ.

L. Livivs Drvsvs nullum magistratum gessit. Bello ciuili Octauiano Brutum & Cassium secutus: post pugnam Philippensem in castris mortem sibi ipsi consciuit.

L. Livivs Drvsvs Cos. cum L. Calpurnio A. V. 738.

Livia mater Tiberii Cæsaris, vxor Octauii Augusti.




XLI.

DECIA.

P. Decivs Mvs Trib. mil. M. Valerio & A. Cornelio Coss. exercitum bello Samnitico liberauit. Cos. A. V. 413. bello Latino, quum Romanam aciem inclinatam videret; Codri Atheniensium regis exemplo pro salute Reipub. se deuouit: & in aciem hostium irrumpens armatus, facta ingenti strage, telis obrutus, pro patria fortiter occubuit.

P. Decivs Mvs, Pont. max. Cos. cum M. Valerio A. V. 441. in magistratu grauiter ægrotauit: nihilominus tamen de Samnitibus triumphauit. Cos. II. cum Q. Fabio A. V. 445. in Etruscis rem gessit. Mag. Eq. P. Cornelio Dict. A. V. 447. Cens. cum Q. Fabio A. V. 449. Cos. III. cum eodem collega A. V. 456. Rem in Samnio gessit, vnde illi imperium in annum sequentem prorogatum: Murgantiam validam gentis vrbem vi cepit, inde Romuleam, mox Ferentinum. Cos. IV. cum eodē collega, A. V. 458. pro patria, exemplo patris, bello Etrusco se deuouit.

P. Decivs Mvs, Cos. cum P. Sulpicio A. V. 474. in prælio contra Pyrrhum fortiter pugnans cecidit.



XLII.

IVNIA BRVTORVM.

Brvtos, qui nunc sequuntur, à L. Iunio Bruto, qui regio dominatu populum Romanum liberauit, suam deducere originem; grauis quidem auctor est M. Cicero in Tusculana 4. Philippica prima, & in Bruto: cui etiam ex sententia Posidonii Philosophi Plutarchus astipulatur; tertium Iunii Bruti filium expertem coniurationis fuisse, ab eoq; gentem Iuniam propagatam, asserens: sed quibus refragatur Dionysius lib. 4. vbi multis argumentis exquisitisque rationibus suam confirmat sententiam: quam nos quoque tanquam omnium grauissimam libenter amplectimur: saluo tamen aliorum iudicio.

M. Ivnivs Brvtvs Scæva, Mag. Eq. Q. Publilio Dict. A. V. 414. Cos. cum L. Furio A. V. 428.

C. Ivnivs C.F.C.N. Bubulcus Brvtvs, Cos. cum Q. Æmilio A. V. 436. Cos. II. cum L. Papyrio A. V. 440. Mag. Eq. C. Sulpitio Dict. A. V. 441. Cos. III. cum Q. Æmilio A. V. 442. Samnitū viginti millia cæcīdit: deq; eis triūphauit Non. Sextilibus. Cens. cum M. Valerio A. V. 446. Dict. R. G. C. anno V. C. 551. Æquos subegit XI. Kal. Sextilibus: ac die octa-

D. Ivnivs

D. IVNIVS BRVTVS SCÆVA, Cos. cum Q. Fabio A.V.461.

uo triumphans in Vrbem rediit: ædémque Salutis, quam Consul vouerat, Censor locarat, Dictator dedicauit.

C. IVNIVS BVBVLCVS BRVTVS, Cos. cum L. Postumio A.V.462. Cos. cum P. Cornelio A.V. 476. cladem quidē à Samnitibus accepit: de Lucanis verò & Bruttiis triumphauit.

D. IVNIVS PERA, Cos. cū N. Fabio A.V.487. de Sassinatibus, Sallentinis, Messapiisq; triumphauit. CENS. A.V.500 collega L. Postumio mortuo, abdicauit.

L. IVNIVS PVLLVS, Cos. cum P. Claudio A.V. 504. aduersum Pœnos in Siciliam missus, tempestate classem amisit, quum auspiciis non paruisset: damnatúsque ignominiam voluntaria morte pręuenit.

M. IVNIVS PERA, Cos. cum M. Æmilio A.V.523. CENS. C. Claudio A.V. 528. DICT. R.G.C. A.V. 537.

M. IVNIVS BRVTVS sine magistratibus fuit.

M. IVNIVS BRVTVS PR. A.V. 562. Cos. cum A. Manlio A.V.575. Ligures est sortitus.

M. IVNIVS PENNVS PR. A.V. 581. Cos. cum Q. Ælio A.V.586. Pisas gubernandas accepit.

T. IVNIVM BRVTVM Tribunitium Cicero appellat in Bruto, facilem & expeditum ad dicendum: & vitæ splendore multo, & ingenio fuisse probabili refert: neque longiùs honorib. processisse: quòd infirma atque etiam ægra esset valetudine.

M. IVNIVS PENNVS, TRIB. PL. M. Lepido & L. Oreste Coss. Ædilitius est mortuus.

M. IVNIVS SILANVS, Cos. cum Q. Cæcilio A.V.644. aduersum Cimbros infeliciter pugnauit. A Cn. Domitio tribuno plebis idcircò apud populum accusatus, est absolutus.

D. IVNIVS SILANVS, Cos. cum L. Muræna A.V.691.

M. IVNIVS SILANVS, Cos. cum C. Iulio A.V.728.

D. IVNIVS PENNVS Augur, Cos. cum P. Cornelio A.V.615. Hispaniam vlteriorem sortitus: Lusitaniam vrbium expugnationibus ad Oceanum vsq; perdomuit: & quum flumen Obliuionis milites transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit: vbi LX millia Gallęcorum aspero & difficili bello oppressit. Hinc GALLÆCI cognomen meruit.

M. IVNIVS BRVTVS, Cos. cum M. ÆMILIO A.V. 676. Homo & Græcis doctus literis & Latinis. Hic an sit vnus è coniuratis, quorum scelere C. Iulius Cęsar obtruncatus est, quique ab Octauio Cæsare ad vrbem Philippos victus, & à Stratone fugæ comite gladio transfossus est A.V.711. asseuerare non audeo.

XLIII.

ÆLIA.

P. ÆLIVS PÆTVS, Quæstor A.V.415.

P. ÆLIVS PÆTVS Cos. cum C. Sulpicio A.V.416.

P. ÆLIVS PÆTVS, MAG. EQ. Q. Fabio DICT. A.V.432.

Q. ÆLIVS PÆTVS, Cos. cum M. Valerio A.V. 467. PONT. pugna Cannensi cecidit A.V.537. IV. Non. Sextil.

P. ÆLIVS PÆTVS PR. A.V. 550. MAG. EQ. C. Seruilio Dictatore anno proximo. COS. cum Cn. Cornelio A. V. 552. quo secundum bellum Punicum est confectum. Ipse missus contra Boios in Galliam, rem non satis prosperè gessit. Legationes deinde obiuit, & colonias deduxit. CENS. cum P. Cornelio A.V. 554. Augur tandem factus, pestilentia obiit.

SEX. ÆLIVS PÆTVS Ædilis Curulis cum M. Claudio Marcello A. V. 541. mox triumvir: inde Consul A. V. 555. mox Censor A.V. 559. Ciuilis scientię omniũ peritissimus est habitus: ob eáq; causam CATVS ab Ennio appellatus.

Q. ÆLIVS PÆTVS, legatus L. Pauli bello Macedonico, Cos. cum M. Iunio A. V. 586. A Pomponio inter Iurecoss. numeratur. Vxor ÆMILIA L. Paulli F.

Q. ÆLIVS TVBERO, Stoicus, vita & oratione ieiunus, incultus horridus: quam ob causam honoribus suorum maiorum respondere non potuit: scripsit orationes contra Gracchum; itẽ historias, ex quibus Liuius, Dionysius, & Gellius multa citant. Quum aliquando à Q. Fabio Max. epulum nomine P. Africani Æmiliani sui patrui defuncti daretur: tricliniũ sternere rogatus, lectulos Punicanos pellibus hœdinis strauit; & pro argenteis vasis Samia exposuit. Cuius rei deformitas sic omnes offendit: vt in petitione Prætoratus, repulsam tulerit.

L. ÆLIVS TVBERO, Græcis & Latinis literis eruditissimus, antiquitatis studiosissimus, & in inuentis rebus, & in actis, scriptorumq; veterum literatè peritus.

L. ÆLIVS TVBERO PR. Iberiam prouinciam obtinuit.

L. ÆLIVS TVBERO, legatus Q. Ciceroni in Asia. Bello ciuili Pompeiano à senatu cum imperio missus in Africam, quum venisset Vticam: ab Actio Varo portu & oppido est prohibitus: sublatisq; anchoris eo loco excedere coactus.

Q. ÆLIVS TVBERO, Orator, Q. Ligarium accusauit tanta vi; vt vix Ciceronis defensio, & Ligariorum fratrum benè de Cæsare meritorum intercessio, eum eripere quiuerint. A causis inde agendis ad ius ciuile transiit: & A. Offitio operam dedit. Vxor SVLPICIA Ser. Sulpicii F.

Q. ÆLIVS TVBERO, Cos. cum Paulo Fabio Max. A. V. 742.

SEX. ÆLIVS CATVS, Cos. cum C. Sentio A. V. 756.



XLIV.

ATILIA REGVLORVM.

M. ATILIVS M. F. REGVLVS Cos. cum M. Valerio A.V. 418.

M. ATILIVS REGVLVS Cos. cum L. Postumio A. V. 459. de Samnitibus & Volsonibus triumphauit V. Kal. Aprilis.

M. ATILIVS REGVLVS, Cos. cum L. Iulio A.V. 486. bello Salentino confecto, de hostibus triumphauit VII. Kal. Februarii. COS. II. cum L. Manlio A. V. 497. Hamilcare Carthaginensium duce nauali prælio victo, in Africam exercitum duxit: vbi denuo Hamilcarem & duos Asdrubales acie vicit: hostium octodecim millia cæcîdit: quinque millia cum duodeuiginti elephantis cepit. Quum autem Atheniensibus pacem non, nisi duris conditionibus, daret: vltima pernicie ab eis, duce Xantippo Lacedęmonio, victus captúsque est. A quibus postea, quàm magnam denuo cladem à Romanis accepere, iuratus Romam de pace, & de ca-

ptiuis

ptiuis redimendis missus: vtrunque in senatu dissuasit: ipse Carthaginem reuersus, crudelissimum subiit supplicium A.V.503.

M. ATILIVS REGVLVS, Cos. cum P. Valerio A.V.526. Cos. II. suffectus in locum C. Flaminii A.V. 536. CENS. cum P. Furio A.V. 539. magistratu se abdicauit. Eum in pugna Cannensi cecidisse, contra Liuium falsò adstruere videtur.

C. ATILIVS REGVLVS, Cos. cum L. Æmilio A.V.528. Sardiniam gubernandam obtinuit. Reuocatus inde bello Gallico Cisalpino: in acie gloriosa victricique morte occubuit. Tunc enim Gallorum 40000. sunt cæsa: & decem millia capta.

C. ATILIVS REGVLVS SERRANVS, ab aratro accersitus (tunc autem sua manu spargebat semen, quum ad imperium populi Rom. suscipiendum euocaretur: vnde SERRANI illi cognomen obtigit) Cos. cum Cn. Cornelio A.V.496. Cos. II. cum A. Manlio A.V.503.

C. ATILIVS Serranus, nullum gessit magistratũ.

C. ATILIVS SERRANVS, PR. A.V.580. Cos. cum C. Hostilio A.V.583.

SEX. ATILIVS SERRANVS, Cos. cum P. Furio A.V.617.

C. ATILIVS SERRANVS, Cos. cum Q. Cæpione A.V.647.



XLV.

CORNELIA RVFINORVM.

P. CORNELIVS RVFINVS, DICT. R.G.C. A.V.419. vitio factus abdicauit.

P. CORNELIVS RVFINVS, Cos. cum M. Curio A.V.463. de Samnitibus triumphauit. Cos. II. cum C. Iunio A.V.476. Lucanos & Bruttios bello afflixit: Crotonem vrbem nihil minus suspicantem & inualidam cepit. Vir manu quidem strenuus, & bellator bonus: sed furax, & auaritia acri. Vnde quoque anno sequenti speciosissima functus dictatura, à C. Fabricio censore est notatus, quod decem pondo vasa argentea comparasset. Plinius eum dormientem oculorum visum amisisse, auctor est lib.7.

P. CORNELIVS RVFINVS, nullum magistratum adeptus.

P. CORNELIVS RVFINVS PR. VRB. & PEREG. A.V.541. in hoc honore SVLLA est appellatus: quòd ex libris Sibyllinis ludos Apollinares instituerit, auctore Macrobio.

P. CORNELIVS SVLLA, PR. A.V. 567. Siciliam prouinciam obtinuit.

L. CORNELIVS SVLLA, ignobilis.

SER. CORNELIVS SVLLA, legatus prouincialis Macedoniæ constitutus A.V.586.

L. CORNELIVS SVLLA, qui post victoriam ciuilem FELICEM se appellari voluit: vitam ad quæsturæ suæ comitia vsque libidine, vino, ludicræ artis amore, perinquinatam perduxit. Cos. omnium penè ciuium suffragiis lectus, vndequinquagesimo ætatis suæ anno, V.C.665. Marianam factionem Vrbe eiecit: ciuitatis statum ordinauit: colonias deduxit. PROCOS. in Græcia bellum gessit: Athenas expugnauit: copias Mithridatis re-

P. CORNELIVS SVLLA, nulla re nobilis.

P. CORN. SVLLA, Cos. cum P. Antonio A.V.688. antequam magistratum iniret, ambitus est damnatus. Sed quem Cicero maiestatis defendit oratione, quæ hodie extat.

L. CORN. SVLLA Cos. cum C. Iulio A.V.748.

gis profligauit, cæsis hostium centenis millibus, & castris expugnatis. Redintegrato bello iterum exercitum eius fudit & deleuit, quum in Africam traiecisset: pacem cum Mithridate fecit. In Italiam cum exercitu reuersus, Norbanum prælio vicit: Scipionis exercitum accepit: ipsum incolumem dimisit: Marium ad Sacri portum cum exercitu fudit, deleuitque: vrbem recepit: Carbonem, exercitu eius cæso, Italia expulit. DICT. R. P. C. an. V. C. 671. proscriptionem primus in Rempub. induxit: & legiones in agros captos deduxit. Cos. II. cum Q. Metello A. V. 673. leges Cornelias tulit: ordinatáque Repub. dictatura se abdicauit. In campo Martio, vel repugnante Lepido Cos. sepultus A. V. 674. octogenarius.

FAVSTVS CORNELIVS SVLLA, Pontifex, munus gladiatorium in patris defuncti honorem exhibuit: pupulóque epulum, balnea, & oleum dedit. Post bellum Africanum in Hispaniam fugiens, à P. Sitio captus & occisus est.



XLV.
CLAVDIA MARCELLORVM.

M. CLAVDIVS MARCELLVS, Cos. cum C. Valerio A. V. 422. DICT. Comitiorum habendorum causa A. V. 426.

C. CLAVDIVS MARCELLVS, Cos. cum C. Nautio A. V. 466.

M. CLAVDIVS MARCELLVS Cos. cum Cn. Cornelio A. V. 531. Gallos fudit fugauítque, Virdumaro illorum rege ad Clastidium interfecto: inter multa Insubrium oppida, Mediolanum quoque cepit: & de Gallis, Insubribus, & Germanis triumphauit Kal. Martii; spolia opima Ioui Feretrio post Romulum tertia offerens. Cos. II. cum T. Sempronio A. V. 538. vitio factus abdicauit. Cos. III. cum Q. Fabio anno sequenti; cum Hannibale ad Nolam prosperè decertauit: inde in Siciliam cum imperio profectus, Syracusas à Romana amicitia alienatas, triennio expugnauit, & Siciliam in potestatem pop. Romani redegit: quumque per calumniam triumphus ipsi à Senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triũphauit. Cos. IV. cum P. Valerio A. V. 543. in Italia Salapiam per proditionem recepit: aliáq; in Samnitibus oppida occupauit: & cum Hannibale ad Numistronem bene pugnauit. A quo post biennium quintum Cos. insidiis circumuentus & occisus est ad Venusiam Apuliæ.

M. CLAVDIVS MARCELLVS, PR. A. V. 555. Cos. cum L. Furio A. V. 557. Pado traiecto in agrum Comensem ducens, Gallos fudit, castra diripuit, Comũ oppidum cepit, castella duodetriginta in deditionem recepit: de Insubribus Comensibúsque IV. Non. Martii triumphauit. CENS. cum T. Quinctio A. V. 564.

M. CLAVDIVS MARCELLVS PR. A. V. 565. Cos. cum Q. Fabio A. V. 570. aduersus Gallos Transalpinos Istricum molitus est bellum.

M. CLAVDIVS MARCELLVS PR. A. V. 584. Cos. cum C. Sulpicio A. V. 587. Gallos Alpinos subegit. Cos. II. cum P. Cornelio A. V. 598. Cos. III. cum L. Valerio A. V. 601. Celtiberiæ populos, multis oppidis in deditionem redactis, pacauit: & Cordubam condidit. Naufragio tandem in Africa periit A. V. 605.

C. CLAVDIVS Marcellus.

C. CLAVDIVS Marcellus Cos. cum L. Æmilio Paulo A. V. 703.

M. CLAVDIVS MARCELLVS nullo magistratu celebris.

M. CLAVDIVS MARCELLVS, Cos. cum Ser. Sulpitio A.V.702. Post bellum Pompeianum, Senatu deprecante à Cæsare in gratiam receptus: antè quàm in Vrbem rediret, Athenis in Pyræeo à P. Magione est occisus A. V. 707.

C. CLAVDIVS MARCELLVS, Cos. cum L. Lentulo sub initium belli ciuilis A. V. 704.

M. CLAVDIVS MARCELLVS, Cos. cum L. Aruntio A.V. 731. Vxor OCTAVIA Maior, Augusti Cæsaris soror germana.

M. CLAVDIVS MARCELLVS Ædilis pl. in magistratu mortuus. Eius Epicedion extat in fine Æneid. 6. *Ostendent terris hunc tantū fata: nec vltra Esse sinent*, &c. Desponsata ipsi fuit IVLIA, C. Octauii Cæsaris F.

MARCELLA Maior, vxor M. Agrippę.

MARCELLA Minor Iulio Antonio M.F. nupsit.



XLVII.
FVLVIA PÆTINORVM.

L. FVLVIVS CVRRVS vixit ignobilis.

L. FVLVIVS CVRRVS, nullis dignitatibus, nec rebus gestis clarus.

L. FVLVIVS CVRRVS, Cos. cum Q Fabio A.V.431. cum collegā de Samnitibus triūphauit XII. Kal. Martii. MAG. EQ. L. Æmilio Dict. A.V.437.

M. FVLVIVS CVRRVS PÆTINVS, Cos. cum L. Postumio A. V.448. in locum scilicet suffectus T. Minucii: Bouianum cepit, & de Samnitibus triumphauit III. Non. Octobris.

CN. FVLVIVS PÆTINVS, nulla re nobilitatus.

CN. FVLVIVS PÆTINVS, vixit & ipse obscurus.

CN. FVLVIVS MAX. CENTVMALVS, Cos. cū L. Cornelio A.V.455. de Samnitib. & Hetruscis triumphauit Id. Nouembris.

M. FVLVIVS PÆTINVS, Cos. cum T. Manlio A. V.454. de Nequinatib. & Samnitibus triūphauit VII. Kal. Octobris.

M. FVLVIVS PÆTINVS Nobilior, sine magistratu fuit.

CN. FVLVIVS CENTVMALVS DICT. claui figendi causa A. V.490. Clauo enim figendo pestilentiam remitti, persuasum erat Romanis. Cos. cū L. Postumio A.V. 524. bellum cum Illyriis gessit: Coreyram in potestatem pop. Rom. redegit: Dyrrachium in deditionem accepit: Apolloniam occupauit: & de Illyriis triumphum naualem egit.

CN. FVLVIVS CENTVMALVS, PR. A.V.540. Cos. cū P. Sulpicio anno seq. ad Herdoneam cum exercitu ab Hannibale cęsus est.

SER. FVLVIVS PÆTINVS NOBILIOR, Cos. cū M. Æmilio A. V. 498. prosperè terra mariq; cū Carthaginensibus bellū in Sicilia gessit, multis millibus hostiū occisis: sed classem ingenti prçda onustā, infando naufragio amisit.

M. FVLVIVS Pætinus Nobilior vixit absq; honoribus.

M. FVLVIVS NOBILIOR, PR. A.V.560. Hispaniam vlteriorem sortitus, re benè gesta, Vrbem ouans est ingressus. Cos. cum Cn. Manlio A.V.564. in Cephaleniam transgressus, omnes ciuitates absq; prçlio in deditionem accepit: & de Ætolis triumphauit. CENS. cum M. Æmilio A.V. 574.

M. Fulvius Nobilior Cos. cum Cn. Cornelio A.V.594 quo anno Terentium mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, auctor est Donatus.

Q. Fulvius Nobilior, Cos. cum T. Annio A.V.600 primus cum collega magistratum iniit Kal. Ianuarii Cens. cũ Q. Fabio A. V. 617. Vir fuit iam patrio instituto deditus studio literarum: quique Q. Ennium, qui cum patre eius in Ætolia militauerat, ciuitate donauit: quum Triumvir coloniam deduxisset.



XLVIII.

DOMITIA CALVINORVM.

Cn. Domitius Calvinus, Cos. cum A. Cornelio A.V.421.

Cn. Domitius Calvinus Cens. cum Q. Fabio A.V.474. primus è plebe lustrũ fecit.

C. Domitius Calvinus Ædilis curulis, Cos. cum P. Cornelio A. V. 470.

Ab his quoque ortus est

Cn. Domitius M.F.M.N. Calvinus Cos. cum M. Valerio A.V. 70c. Legatus Cæsaris bello ciuili, Scipionem duobus prœliis vicit: Gomphos Thessaliæ oppidum vi cepit. Bello tandem Alexandrino à Pharnace victus est & profligatus. Cos. II. cum C. Asinio A. V. 713. Hispaniam prouinciam obtinuit.




XLIX.

ÆMILIA BARBVLARVM.

Q. Æmilius Q.F. L.N. Barbula bis Cos. cum C. Iunio A. V. 436. & 442. extremo consulatu de Etruscis, acri prœlio victis, triumphum egit.

L. Æmilius Barbula, Cos. cum Q. Marcio A. V. 472. cum Tarentinis feliciter manus conseruit.

M. Æmilius Barbula, Cos. cum M. Iunio A. V. 523. quo Hamilcar Hannibalis pater in Hispania est occisus.



L.

SEMPRONIA SOPHORVM.

P. Sempronius P.F. C.N. Sophus, Pontifex, Trib. Pl. A.V. 443. Appium Claudium Censorem in vincula duci iussit, Pr. A. V. 447. Cos. cum P. Sulpicio A.V.449. de Æquis triumphauit. Mag. Eq. Ap. Claudio Dict. A. V. 452. Cens. cum P. Sulpicio A.V.454.

P. Sempronius Sophus, Cos. cum Ap. Claudio A. V. 485. aduersus Picentes duxit exercitum: & quum subitus terræ motus vtrasque acies confudisset, exhortatione confirmauit suos, & impulit, vt consternatum superstitione hostem inuaderent: vnde gloriosam de hostibus reportauit victoriam & triumphum. Cens. cum M. Valerio A. V. 501.

CORNELIA

LI.

CORNELIA LENTVLORVM.

SER. CORNELIVS CN. F. CN. N. LENTVLVS, Cos. cum L. Genucio A.V. 450.

TI. CORNELIVS LENTVLVS.

L. CORNELIVS LENTVLVS Cos. cum M. Curio A.V. 478. Samnitum oppido capto, Ser. Cornelio Merendæ coronam dedit: & de Samnitibus atq; Lucanis triumphauit.

L. CORNELIVS LENTVLVS Caudinus, Cos. cum Q. Fuluio A.V. 516. aduersus Ligures primus bellum gessit: de iisque maximo prælio victis, triumphauit Idib. Intercal. CENS. cum Q. Lutatio A.V. 517.

P. CORN. LENTVLVS Caudinus, Cos. cum C. Licinio A.V. 517.

CN. CORNELIVS LENTVLVS, PR. A.V. 550. Cos. cum P. Ælio A.V. 552. Hispaniam citeriorem sortitus, rebus prosperè gestis, ouans Vrbem est ingressus.

L. CORN. LENTVLVS LVPVS, Cos. cum C. Marcio A.V. 597. CENS. cum L. Marcio A.V. 606. Vir fuit eloquens.

CN. CORN. LENTVLVS, Cos. cum L. Mummio A.V. 607.

L. CORNELIVS LENTVLVS, PROCOS. Hispaniam citeriorem sortitus A.V. 547. multis rebus præclarè fortitérque gestis, primus omniũ, qui sine magistratu res gessissent, Vrbem ouans est ingressus A.V. 553. & mox Cos. creatus cum P. Villio.

P. CORN. LENTVLVS, Cos. cum Cn. Domitio A.V. 591. Princeps Senatus lectus A.V. 606. CENS. cum Ap. Claudio A.V. 615.

CN. CORN. LENTVLVS, Cos. cum P. Licinio A.V. 656.

CN. CORNELIVS LENTVLVS CLODIANVS, Cos. cum L. Gellio A.V. 681. legem de pecunia quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda promulgauit. CENS. eodem collega A.V. 883.

CN. CORN. LENTVLVS Marcellinus, Cos. cum L. Marcio A.V. 697.

P. CORNELIVS LENTVLVS Marcellinus, Quæstor Cæsaris bello ciuili Pompeiano.

P. CORN. LENTVLVS Marcellinus, Cos. cum Cn. Cornelio Lentulo A.V. 735.

P. CORN. Lentulus, vixit inglorius.

P. CORNELIVS LENTVLVS SVRA, Cos. cum Cn. Aufidio A.V. 682. pòst consularis & Prętor, quòd cum Catilina coniurasset, Cicerone Cos. in carcere est strangulatus.

LII.

CVRIA.

M'. CVRIVS, M'. F. municeps, cum maioribus suis vixit ignobilis.

M'. CVRIVS DENTATVS, TRIB. PL. A.V. 454. Cos. cum P. Cornelio

A. V. 463. bellum Samniticum gessit: omnem eum tractum, quà Nar ambit, fontésque Velini Hadriatico tenus mari, igne ferróque vastauit. Quà victoria tantum agrorum, tantum hominum redactum in potestatem: vt in vtro plus esset, ne ipse quidem posset existimare, qui vicerat. De Samnitibus, Sabinis, Lucanis triumphauit. CENS. cum L. Papirio A. V. 464. aquam Anienem manubiis hostium in vrbem induxit. COS. II. cum L. Lentulo A. V. 478. contra Pyrrhum in Italia pugnauit: exercitū eius cæcîdit: ipsum Tarento fugauit; castra cepit: de rege Pyrrho & Samnitibus secundùm triumphans, primus Romam elephantos quatuor duxit. COS. III. cum Ser. Cornelio A. V. 479. cum Bruttiis, Lucanis & Samnitibus pugnauit.




LIII.

FABRICIA.

C. FABRICIVS C. F. ignobili municipio natus, ipse quoq; ignobilis & obscurus.

C. FABRICIVS LVSCINVS COS. cum Q. Æmilio A. V. 471. de Etruscis & Gallis triumphauit. COS. II. cum eodem collega A. V. 475. bellum cum Pyrrho gessit: cuius medicus quum nocte ad ipsum venisset, Pyrrhum veneno occisurum promittens: vinctum eum ad dominum reduci iussit. Prosperè exinde cum Bruttiis & Lucanis pugnauit: déque iis, Tarentinis & Samnitibus triumphauit. CENS. cum eodem collega A. V. 478. P. Cornelium Rufinum consularem, senatu mouit: quod decem argenti pondo facti haberet.



LIV.

ÆMILIA PAPORVM.

Q. ÆMILIVS Cn. F. PAPVS cum eodem semper collega bis consulatum A. V. 471. & 475. semel censuram A. V. 478. gessit: & P. Corn. Rufinum virum consularem Censor senatu mouit.

L. ÆMILIVS PAPVS, COS. cum C. Atilio A. V. 528. de Gallis Cisalpinis speciosissimum egit triumphum.



LV.

VALERIA LÆVINORVM.


P. VALERIVS LÆVINVS, COS. cum Ti. Coruncanio A. V. 473. aduersus Pyrrhum parum prosperè pugnauit.

P. VALERIVS LÆVINVS, ignobilis vixit.

M. VALERIVS LÆVINVS, COS. cum M. Claudio A. V. 543. Agrigentum, Pœnis ex Sicilia pulsis, cepit. PR. A. V. 538. Ex prætura missus aduersus Philippum, egregiè res terra mariq; gessit.

M. VALERIVS LÆVINVS, obscurus.

C. VALERIVS LÆVINVS COS. cum C. Pætilio A. V. 577.



LVI.

CÆCILIA.

L. CÆCILIVS METELLVS, COS. cum Seruilio A. V. 469. PR. anno sequenti, ad

ti, ad vlciſcendam legatorum necem, & comprimendum hoſtium impetum miſſus: ab Etruſcis & Gallis oppreſſus cum exercitu interiit.

L. CÆCILIVS METELLVS, Pontifex Max. & bis conſul, ſemel cum C. Furio A.V.502. iterum cum N.Fabio A.V.506. MAG. EQ. A. Atilio Dict. A. V.504. DICT. tandem Comitiorum habendorum cauſa A. V. 529. Primarius fuit bellator, optimus orator, fortiſſimus Imperator. PROCOS. enim Aſdrubalem Pœnorum ducem in Sicilia cum cxxx. elephantis & magnis copiis vicit: apud Panormum xx millia hoſtium occidit: xxvi. elephantos cepit, reliquos errantes collegit, ſecumq; primus in triumpho duxit VII. Id. Septembris A.V.503.

Q. CÆCILIVS METELLVS, MAG. EQ. M. Liuio Dict. ab eodem Cos. creatus eſt cum L. Veturio A. V.574. & exitu anni ſequentis à Conſule DICT. Comit. habendorum cauſa in Bruttiis dictus.

Q. CÆCILIVS METELLVS, PR. A. V.605. Andriſcum Pſeudophilippum, qui Macedoniam occupauerat, ingenti prælio ſuperauit, inq; ſuam poteſtatem redegit, occiſis hoſtium xxv. millibus: (vnde MACEDONICVS dici meruit) prorogatoq; imperio, Achæos Bœotoſq; duobus præliis, primo ad Thermopylas, altero in Phocæis deuicit. Hos triumphandos L. Mummio Cos. tradidit: de Andriſco ipſe triũphum egit A. V. 607. Cos. cum Ap. Claudio A. V. 610. PROCOS. Celtiberos cæcidit, eorúmque opes valde attriuit. Bellator maximus: populo tamen ob nimiam ſeueritatem inuiſus.

L. CÆCILIVS METELLVS Caluus, Cos. cum Q. Fabio A.V.611.

Q. CÆCILIVS METELLVS, Cos. cũ T. Quinctio A.V. 630. à deuictis Balearibus in hoc honore BALEARICVS appellatus. CENS. cum Q. Seruilio A.V.633.

M. CÆCILIVS METELLVS, Cos. cum M. Æmilio A. V. 638. Sardos vicit: deq; iis biẽnio pòſt triumphauit.

C. CÆCILIVS Caprari⁹, Cos. cum Cn. Papirio A. V. 640. ex Macedonia triumphum egit.

L. CÆCILIVS METELLVS, à Plutarcho DIADEMATVS cognominatus, q̃ vlceris cauſa frontem diademate diu obligauerat, Cos. cum Q. Mucio A. V. 636. in hoc honore DALMATICVS poſtea eſt appellat⁹, ob Dalmatas ſubactos & triũphatos: quib. nulla eorum culpa, triumphandi dũtaxat libidine, bellum intulerat: è quorum manubiis poſtea ædem Caſtoris extruxit.

Q. CÆCILIVS METELLVS NEPOS, COS. cum T. Didio A.V.655. rem aduerſus Cymbros malè geſſit: ideoq; populum Rom. ipſi imperium abrogaſſe, auctor eſt Aſconius in Cornelianam.

Q. CÆCILIVS METELLVS NEPOS TR. PL. A.V.691. Ciceronem Cos. concione prohibuit. Cos. cum P. Cornelio A.V.696.

Q. CÆCILIVS CELER, PR. Cicerone Coſ. ex prętura in Galliã profectus: inde conſulatum Pompeii opera conſecutus A. V.693.

L. CÆCILIVS METELLVS PR. Siciliã prouinciam obtinuit A.V.683 Cos. deſignatus A. V. 685. antequam magiſtratum iniret, obiit.

Q. CÆCILIVS Metellus, CRETICVS deinceps appellatus ob Cretam inſulam ſubactã, de qua triũphauit anno poſt conſulatum ſeptimo, qui fuit V.C.691.

M. CÆCILIVS METELLVS, PR. Repetundarum A. V. 684.

L. CÆCILIVS METELLVS, Cos. cum L. Aurelio A. V. 634. à Mario in carcerẽ eſt cõiectus. CENS. cum Cn. Domitio A.V.638. artem ludicrã ex vrbe remouit: præter Latinum tibicinẽ, cum cantore, & ludum talorum: vt eſt apud Caſſiodorum.

Q. CÆCILIVS METELLVS, cui ex virtute NVMIDICI cognomen inditum, Cos. cum M. Iunio A.V.644 prouinciã Numidiam ſortitus, Iugurtham duobus præliis fudit: Thalam oppidum diripuit: vniuerſam Numidiam va-


Q. Cæcilivs Metellvs Creticus, nullos gessit magistratus.

stauit: Romam reuersus, ex Numidia triumphauit. Rogatione Saturnini trib. pl. Smyrnam in exilium pulsus A.V.653. ingenti fauore ciuitatis inde est reuocatus anno proximo.

Q. Cæcilivs Metellvs Creticvs, Cos. cum A Licinio A. V.759.

Q. Cæcilivs Metellvs, quòd patrem lacrymis & precibus assiduè ab exilio reuocaret, cognominatus Pivs: Prætor bello sociali Q. Pompedium Marsorum ducem interfecit. Cos. cum L. Sulla A. V.673. Hispaniã & Sertorianũ bellum sortitus: Herculeios fratres oppressit: Sertoriũ Hispania expulit.

Q. Cæcilivs Metellus Pivs Scipio, à Cn. Pompeio genero Cos. collega in quinque menses extremos subrogatus A. V. 701. censoriam potestatem, à Clodio imminutam, lege restituit. Post Pompeii cædem, bellum in Africa aduersus Cæsarem gessit: à quo victus, quum Hispaniã peteret, P. Sitii classe circũuentus, interiit A. V. 707.



LVII.
FVLVIA FLACCORVM.

M. Fvlvivs, Q.F.M.N. Flaccvs, Cos. cum App. Claudio A.V. 489. de Vulsinensibus triumphauit.

Q. Fvlvivs Flaccvs Cos. cum L. Cornelio A. V. 516. cum Gallis rem gessit. Cens. cum T. Manlio A. V.522. vitio factus abdicauit. Cos. II. cum T. Manlio A.V.529. primus cũ collega trans Padum Romanas ducens legiones, cum Insubribus Gallis manus conseruit: hostium cæsis viginti tribus millibus, captis quinq; millibus. Mag. Eq. C. Claudio Dict. A.V.540. Cos. III. cum Ap. Claudio A.V.541. Annonem Pœnorum ducẽ ingenti prælio fudit, vicitq;. Procos. Capuam recepit: & Senatum Campanorum securi percussit. Dict. comitiorum habendorum causa A. V. 543. Cos. IV. cum Q. Fabio A. V.544.

C. Fvlvivs Flaccvs legatus Q. fratris Cos. A. V.544.

Cn. Fvlvivs Flaccvs Pr. A. V.541. circa Herdoneam aduersus Hannibalem malè pugnauit, amissis suorum XVI. millibus: ipse castris omnibus exutus cum CC. equitibus vix fuga est elapsus. Accusatus à C. Balæso tribuno plebis, ante iudicii diem exulatum Tarquinios concessit.

Q. Fvlvivs Flaccvs Pr. A.V. 566. Cos. in locum C. Pisonis suffectus A.V.573.

Ser. Fvlvivs Flaccvs Cos. cum C. Calpurnio A. V. 618. Vardæos in Illyrico subegit.

Q. Fvlvivs Flaccvs, Pr. A.V. 571. in Hispania citeriore maximo prælio viginti quatuor milliá hominum fudit: quater milia cepit. Romam biẽnio pòst reuersus cum magna fama rerum gestarum: quum extra Vrbem triũphi gratia esset, Cos. est creatus cum L. Manlio Acidino: & pòst

Cn. Fvlvivs Flaccvs quòd cohortẽ legionis iń qua Tribunus militum erat, iniussu Consulis domum dimisisset: à Q. fratre Censore senatu est motus A. V. 579.

M. Fvlvivs Flaccvs, nullum magistratum gessit.

M. Fvlvivs Flaccvs, Cos. cũ M. Plautio A. V. 628. perniciosissimas Reipub. leges, de ciuitate Italis danda, de prouocatione eorum ad populum, qui ciuitatem mutare voluissent, ꝓmulgauit. Primus omniũ Transalpinos Ligures bello domuit. paucos

Q. Fvlvivs Flaccvs Triumvir epulonum.

paucos dies Vrbem triumphans ingressus. CENS. cum A. Postumio A. V. 579. Cneiũ fratrem senatu mouit.

Q. FVLVIVS FLACCVS, Cos. cum P. Cornelio A. V. 619. bellum Seruile in Sicilia gessit.

muit: déque eis & Vocontiis triumphauit. Ab Opimio Cos. cum Auentinum montem armatus occupasset, interemptus: eiúsque domus euersa est & publicata A. V. 632.

FVLVIA nupsit L. Iulio Cæsari Cos. an. 663.

M. FVLVIVS FLACCVS vnà cum patre in Auentino monte dimicans cecidit.

Q. FVLVIVS FLACCVS, ad Opimium Cos. à patre legatus de conditionibus missus; in carcere necatus est; iuuenis necdum duodeuigesimum annum egressus A. V. 632.

L I I X.

VALERIA FLACCORVM.

L. VALERIVS FLACCVS, Cos. cum T. Otacilio A. V. 492. cum collega in Siciliam missus contra Pœnos, plerasque mediterraneas ciuitates copiarum Romanarum metu ad se traxit.

P. VALERIVS FLACCVS Cos. cum M. Atilio A. V. 526. consularis posteà legatus cum Q. Bæbio Tamphilo Saguntum missus ad Hannibalem.

L. VALERIVS FLACCVS, Cos. cum M. Porcio A. V. 558. in Gallia cum Boiorum exercitu propter Litanam syluam signis collatis secundo prælio conflixit. CENS. cum eodem collega A. V. 569.

L. VALERIVS FLACCVS, Cos. cum M. Claudio A. V. 601. in magistratu obiit.

L. VALERIVS FLACCVS Flamen Martialis, Cos. cum P. Licinio A. V. 622.

C. VALERIVS FLACCVS Flamen Dialis, captus à P. Licinio Pont. maximo. Hic quũ dissolutam & luxuriosam egisset adolescentiam: vt animum cura sacrorum cepit, ita repente exuit antiquos mores: vt nemo tota iuuentute haberetur prior.

C. VALERIVS FLACCVS, Cos. cum M. Herennio A. V. 660.

L. VALERIVS FLACCVS, Cos. cum C. Mario A. V. 653. CENS. cum M. Antonio A. V. 656. Cos. II. cum L. Cornelio A. V. 667. à C. Fimbria legato occisus.

L. VALERIVS FLACCVS PR. A. V. 690. ex prætura Asiam prouinciam obtinuit. Repetundarum damnatus, à Cicerone est defensus.

L. VALERIVS FLACCVS, centurio bello ciuili Pompeiano, à Cæsareanis interfectus.

L I X.

ATILIA CALATINORVM.

A. ATILIVS A. F. C. N. CALATINVS, Cos. cum Q. Sulpicio A. V. 495. Cos. II. cum Cn. Cornelio collega in Siciliam missus, Panormũ Pœnorum vrbem obsidione cepit A. V. 499. Primus idem exercitum extra Italiam Dictator duxit A. V. 504.

C. ATILIVS CALATINVS Bulbus, Cos. cum M. Fabio A. V. 508. Cos. II. cum T. Manlio A. V. 518. CENS. cum A. Postumio anno sequenti.



L X.

SEMPRONIA LONGORVM.

C. SEMPRONIVS TI.F.TI.N.BLÆSVS, COS.A.V.500.cum collega Cn. Seruilio CLX. nauibus in Siciliam, inde in Africam traiiciens, vniuersam oram maritimã, quæ circa Syrtes est, depopulatus est. Romã reuersus, triumphũ meruit.

TI. SEMPRONIVS LONGVS, Cos. cum P.Cornelio A.V.535.

TI. SEMPRONIVS LONGVS, Decemvir sacrorum, PR. A.V. 557. Cos. cum P. Cornelio A.V.559. vario euentu cum Boiis pugnauit.



L X I.

SERVILIA CÆPIONVM.

CN. SERVILIVS, CN.F.CN. N. CÆPIO, Cos. cum C.Sempronio A.V.500.oram maritimam circa Syrtes depopulatus est.

CN. SERVILIVS CÆPIO PR. A.V. 548. COS. cum C.Seruilio A.V. 550.cum Annibale in agro Crotonienfi acie conflixit.

CN. SERVILIVS CÆPIO, Cos.cum Q. Marcio A.V.584. Italiam gubernandam accepit.

CN. SERVILIVS CÆPIO, Cos.cum Q. Pompeio A.V.612.

Q. SERVILIVS CÆPIO, Cos. cum C.Lælio A.V. 513.

Q. SERVILIVS CÆPIO Cos. cum C.Atilio A.V.647.à populo damnatus, imperium ipsi abrogatum, bona publicata sunt.

Q. SERVILIVS CÆPIO nullum magistratum adeptus.

Q. SERVILIVS CÆPIO Brutus, bello ciuili Pompeianas partes secutus: his profligatis, à Cæsare in gratiam est receptus. PR. A.V.709. Cæsarem cum coniurationis sociis occidit: Macedoniam prouinciam SC. obtinuit: vniuersam Græciam sibi adiunxit: Lycios prælio vicit: Xanthum oppugnatione cepit: Patarenses & Myrios in deditionem accepit. COS. designatus eodem anno, lege Pedia damnatus, non iniit. Philippis cum Antonio feliciter primo die pugnauit: postridie victus, amisso & profligato exercitu, in fuga Stratoni comiti latus feriendum præbuit.



L X I I.

SERVILIA GEMINORVM.

P. SERVILIVS Q.F.Cn.N.GEMINVS, Cos.bis fuit cum eodem collega L. Aurelio, annis V.C.501.& 505. quo Lilybæum & Drepanum oppugnauit.

CN. SERVILIVS GEMINVS Cos. cum C.Flaminio A.V.536.

C. SERVILIVS GEMINVS nullo magistratu insignitus.

M.SER-

M. SERVILIVS PVLLEX GEMINVS, MAG. EQ. P. Sulpitio Dict. A. V. 550. Cos. cum Ti. Claudio, Hetruriam est sortitus.

C. SERVILIVS GEMINVS, ædilis Curulis, MAG. EQ. T. Manlio Dict. A. V. 545. PR. A. V. 547. Cos. cum Cn. Seruilio A. V. 550. DICT. comitiorum habendorum causa A. V. 551.

LXIII.
AVRELIA.

C. AVRELIVS L. F. C. N. COTTA, à Sabinis oriundus, Cos. cum P. Seruilio A. V. 501. de Pœnis & Siculis triumphauit Idib. Aprilis. Cos. II. cum eodem collega A. V. 505. Lilybæum & Drepanum Pœnorum oppida oppugnauit: Pœnos ipsos terra prohibuit: & socias eorum vrbes populationibus infestas reddidit. CENS. cum N. Fabio A. V. 512. MAG. EQ. C. Duilio Dictatore A. V. 522.

C. AVRELIVS COTTA, PR. A. V. 551. Cos. cum P. Sulpitio A. V. 553. Italiam prouinciam gubernandam obtinuit.

L. AVRELIVS COTTA, Cos. cum Ser. Sulpicio A. V. 609. quem ab Africano accusatum, Q. Metellus Macedonicus defendit.

L. AVRELIVS COTTA Cos. cum L. Cæcilio A. V. 634. in cuius consularis locum C. Cæsarem flaminem dialem esse factum, tradit Velleius.

M. AVRELIVS COTTA, eo ipso die, quo togam sumsit virilem, protinus vt è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit: protractúmque reum iudicio afflixit

C. AVRELIVS COTTA, antè tribunatu, pòst ciuitate pulsus: Sulla victore in Vrbem reuersus, consulatum obtinuit A. V. 678. Ex consulatu in Galliam profectus, quum decretus illi esset triumphus, ante diem triumphi obiit A. V. 680. Vir summo ingenio, orator maximus. Legem in consulatu tulit, vt liceret tribunis plebis postea alios capere magistratus: quod Sullæ lege illis erat ademptum.

AVRELIA vxor C. Iulii Cæsaris, mater Dictatoris.

M. AVRELIVS COTTA, Cos. cũ M. Licinio A. V. 679. legẽ de priuatis iudiciis à C. fratre latã abrogauit.

L. AVRELIVS COTTA PR. A. V. 633. iudicia ad equites Romanos transtulit. Cos. cum L. Manlio Torquato A. V. 688. P. Antonium Pætũ ambitus damnauit. CENS. cum P. Seruilio, anno proximo.

L. AVRELIVS ORESTES, vixit obscurus.

L. AVRELIVS ORESTES, Cos. cum Sex. Iulio A. V. 596.

L. AVRELIVS ORESTES, Cos. cum Mam. Æmilio A. V. 627. Sardos subegit.

L. AVRELIVS ORESTES, Cos. cum C. Mario, in magistratu obiit A. V. 650.

C. AVRELIVS ORESTES.

LXIV.
LVTATIA.

C. LVTATIVS C. F. CATVLVS fuit sine magistratibus.

C. LVTATIVS CATVLVS Pont. Max. Cos. cum A. Postumio A. V. 511. Pœnos in Sicilia nauali prælio vicit: hostium quin-

Q. LVTATIVS CATVLVS, Cos. cum A. Manlio A. V. 512. CENS. cum L. Cornelio A. V. 517. in hoc magistratu obiit.

quaginta nauibus demersis, septuaginta captis: de eisq; triumphauit.

C. LVTATIVS CATVLVS, Cos. cum L. Venturio A. V. 533.

Q. LVTATIVS CATVLVS nullum gessit magistratum.

Q. LVTATIVS CATVLVS Cos. cum C. Mario A. V. 652 Cimbros, à quibus ab Alpibus repulsus erat & fugatus, cũ Mario collega vicit: déque iis triumphauit. Marianis tandem armis oppressa Repub. quum deprecantibus necessariis Catuli Marius non semel sed sæpius responderet, Moriatur: mortem sibi consciuit.

Q. LVTATIVS CATVLVS, Cos. cum M. Æmilio A. V. 675. M. Lepidum patriæ bellum nefarium inferentem, profligauit: Capitolium, quod Scipione & Norbano Coss. custodũ negligentia conflagrarat, restituit & dedicauit. CENS. cum M. Licinio A. V. 688. obiit A. V. 692.



LXV.

SEMPRONIA TVDITANORVM.

C. SEMPRONIVS M. F. TVDITANVS, vixit inglorius.

C. SEMPRONIVS TVDITANVS, fuit absque honoribus.

P. SEMPRONIVS TVDITANVS PR. A. V. 540. CENS. cum M. Cornelio A. V. 544. Cos. cum eodẽ collega A. V. 549.

C. SEMPRONIVS TVDITANVS, inglorius.

C. SEMPRONIVS TVDITANVS PR. A. V. 621. Cos. cum M'. Aquillio A. V. 624. contra Iapudas missus, primò rem malè gessit: mox victoria cladem emendauit virtute D. Iunii, qui Lusitanos subegerat.

M. SEMPRONIVS TVDITANVS, Cos. cum C. Claudio A. V. 513. CENS. cum Q. Fabio A. V. 523.

M. SEMPRONIVS TVDITANVS PR. A. V. 564. Cos. cum Ap. Claudio A. V. 568. in Liguribus rem gessit.



LXVI.

SEMPRONIA GRACCHORVM.

TI. SEMPRONIVS TI. F. C. N. GRACCHVS, Cos. cum P. Valerio A. V. 515. Ligures prælio superauit.

TI. SEMPRONIVS GRACCHVS Ædilis Curulis, MAG. EQ. M. Iunio Dict. A. V. 537. Cos. cum L. Postumio A. V. 538. in Campania Cumas contra Hannibalem fortiter defendit. PROCOS. ab hospite Lucano in insidias deductus, à Magone interemptus est. Ossa eius Hannibal militibus in patriã deportanda tradidit.

P. SEMPRONIVS GRACCHVS, nullum magistratum adeptus.

TI. SEMPRONIVS GRACCHVS Augur, TRIB. PL. A. V. 563. L. Scipionem Asiaticum, quamuis inimicum, duci in carcerem non est passus. PR. A. V. 573. Celtiberos victos in deditionem accepit: trecenta illorum oppida deleuit: Monumentum operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit: de Celtiberis ipsis triumphauit. Cos. cum C. Claudio A. V. 576. exercitum in Sardiniam duxit: Sardorum populos, qui defecerant, omnes in deditionem redegit: déq; iis

secundùm

secundùm triumphauit. CENS. cum C. Claudio A.V.584. ob nimis seuerè gestam censuram maiorem partem ciuitatis exasperauit: & libertinos in vrbanas tribus transtulit. COS. II. cum M. Iuuentio A.V.590. Vxor CORNELIA P. Cornelii Scipionis Africani Maioris F. matrona docta, eloquens, casta.

TI. SEMPRONIVS GRACCHVS Augur, Quæstor in Hispania C. Mancino Cos. A. V. 616. fœdus eius flagitiosum probauit: periculum ditionis, eloquentiæ gratia effugit. TRIB. PL. A.V.620. Remp. perniciosis legibus labefactauit: contra voluntatem Senatus M. Octauio collegæ magistratum abrogauit: & quum iterum Tribunus pl. creari vellet, auctore P. Nasica in Capitolio subselliorum fragmentis est occisus: & cadauer in Tiberim proiectum.

SEMPRONIA maritū P. Corn. Scipionē Africanum Æmilianum veneno sustulit.

C. SEMPRONIVS GRACCHVS, Quæstor M. Lepido & L. Oreste Coss. pestilentem Sardiniam sortitus: non veniente successore, sua sponte discessit. TRIB. PL. A. V. 630. leges agrarias & frumentarias tulit: & in alterum annum continuato tribunatu, Triumvir colonias in Italiam & Carthaginem deduxit: quúmque armatus Auentinum occupasset, ab Opimio COS. conuocato ad arma populo, pulsus est & interemptus. Corpus in Tiberim proiectū. Valerius autem & Plutarchus auctores sunt, eum, ne in inimicorum potestatem deueniret, Philocrati seruo ceruices incidendas prębuisse.



LXVII.

VALERIA FALTONVM.

Q. VALERIVS P. F. FALTO, nullis honoribus aut rebus gestis nobilitatus.

Q. VALERIVS FALTO, COS. cum C. Mamilio A.V.514.

P. VALERIVS FALTO, COS. cum T. Sempronio A.V.515.



LXIIX.

QVINCTIA FLAMININORVM.

T. QVINCTIVS L. F. FLAMININVS fuit absque honoribus; periit apud Thrasimenum.

T. QVINCTIVS FLAMININVS COS. cum Sex. Ælio A. V. 555. PROCOS. Philippum Macedoniæ regem ad Cynoscephalas in Thessalia vicit: bellum aduersus Lacedęmonios & Nabidem gessit: quibus debellatis, Græciam vniuersam libertate donauit.

L. QVINCTIVS FLAMININVS, PR. A.V.554. COS. cum Cn. Domitio A. V. 561. octennio pòst à Catone Censore, quòd exoratus in conuiuio à scorto, quendam eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis, securi ferire iussisset, Senatu est motus.

T. QVINCTIVS FLAMININVS, COS. cum M. Acilio A. V. 603.

T. QVINCTIVS FLAMININVS, COS. cum Q. Cæcilio A.V.630.



LXIX.

PORCIA CATONVM.

M. PORCIVS M. F. municeps Tusculanus, Priscus primò, deinde quia multarum rerum vsum haberet, CATO appellatus, Augur, Quæstor A.V.541. Ædilis A.V.545. Cos. cum L. Valerio A.V.558. Hispaniam citeriorem prouinciam sortitus, quæ rebellauerat, pacauit: atque ex ea triumphauit. CENS. cum L. Valerio A.V.569. L. Flaminium è senatu eiecit. Ab hac censura seuerè administrata, Censorinus dictus est. In summa quoque senectute, quia multa eius in Senatu, multa in foro, vel prouisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acutè ferebantur, Sapientis cognomen adeptus est. Virtute namque se, non genere, populo Romano commendauit. Ornata sunt enim ab eo literarum Latinarum monimenta: adiuta disciplina militaris: aucta maiestas senatus: prorogatæ familiæ. Vixit annos XXC.

M. PORCIVS CATO, PR. designatus, viuo patre obiit: egregios de iuris disciplinalibros relinquẽs. Vxor ÆMILIA L. Paulli F.

M. PORCIVS CATO Cos. cum Q. Marcio A.V.635. in Africam cum imperio profectus in prouincia decessit.

L. PORCIVS CATO PR. Marsos acie debellauit. Cos. cum Cn. Pompeio A.V.664. quum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret, à filio C. Marii est peremptus.

C. PORCIVS CATO Cos. cum M'. Acilio A.V.639. Repetũdarum ex Macedonia damnatus, & in exilium profectus, ciuis Tarraconensis est factus.


M. PORCIVS CATO SALONIANVS, mortuus, dum esset Imperator.

M. PORCIVS CATO, TR. PL. decessit in petitione prætoratus.

M. PORCIVS CATO, proauum & vitæ & disciplinæ Stoicæ seueritate referens: ita doctrinæ cupiditate flagrauit: vt ne in curia quidem, dum Senatus cogitur, temperaret sibi, quò minùs Græcos libros lectitaret. TR. PL. A.V.691. quadriennio pòst rogatione Clodia, pecuniæ Ptolemæi Regis Cypri deportandæ est præfectus. Post Pharsalicam pugnam reliquias exercitus Pompeiani contraxit: & terrestri itinere per deserta Libyæ ad Iubam Mauritaniæ Regem perduxit. Scipione postremò à Cæsare victo, Vticæ necem sibi consciuit: vnde VTICENSIS cognomentum ipsi adhæsit A.V.707. Vxor MARTIA.

PORCIA vxor M. Bruti, Cæsaris interfectoris marito in Philippensi acie victo & occiso, ex foco arreptos carbones hausit: oréq; concluso & compresso, semetipsam suffocauit.

M. PORCIVS CATO à Cæsare post patris interitum in gratiam receptus: pugna Philippensi fortiter pugnans cecidit A.V.711.



LXX.

DOMITIA AHENOBARBORVM.

Consule de hac infrà Neronis Domitiani Imp. Rom. familiam.

LXXI.

ACILIA.

M' ACILIVS C.F.L.N. GLABRIO TRIB. PL. A.V. 552. PR. A.V. 557. COS. cum P. Cornelio A.V. 562. Græciam sortitus, Antiochum regem Ætolósque ad Thermopylas vicit: déque iis Procos. triumphauit. Ædem Pietatis dedicauit: primúsque auratam statuam patri posuit.

M' ACILIVS GLABRIO COS. cum Q. Opimio, suffectus scilicet L. Postumio A.V. 599.

Huius agnatus

M' ACILIVS, L.F.K.N. BALBVS GLABRIO COS. cum L. Quinctio A.V. 603.

M' ACILIVS Balbus GLABRIO, COS. cum P. Porcio A.V. 639. legem de pecuniis repetundis tulit.

M' ACILIVS GLABRIO, PR. Repetundarum A.V. 683. apud quem Cicero Verrem accusauit. COS. cum C. Calpurnio A.V. 686. Bithyniam obtinuit vnà cum bello Mithridatico.

LXXII.

MVCIA.

Q. MVCIVS, P.F. SCÆVVLA.

Q. MVCIVS SCÆVVLA PR. A.V. 574. COS. cum P. Postumio A.V. 579.

Q. MVCIVS SCÆVVLA Augur, COS. cum L. Cæcilio A.V. 636.

P. MVCIVS SCÆVVLA, PR. A.V. 574. COS. cum M. Æmilio A.V. 578. de Liguribus debellatis triumphauit.

P. MVCIVS SCÆVVLA, PONT. MAX. TR. PL. A.V. 612. COS. cum L. Calpurnio A.V. 620. Iuris fuit peritissimus. Eum Plutarchus in Sulla φθειρίασει periisse scribit.

P. MVCIVS SCÆVOLA, Pontifex, TRIB. PL. A.V. 647. Ædilis Curulis, spectaculum ex leontophonis exhibuit. Asiam prouinciam, in qua Quæstor fuit, tam sanctè administrauit: vt Senatus deinceps in eam prouinciam ituris, exemplum officii Scæuolam decreto proponeret: in cuius honorem Asiani diem festum Mucia nominarunt. Bello ciuili à Marianis in vestibulo ædis Vestæ occisus. Cicero eum Iurisperitorum eloquentissimum, & eloquentium iurisperitissimum nominat de Orat. 1.

LXXIII.

HORTENSIA.

L. HORTENSIVS, Q. Hortensii Dictatoris, qui legem de plebiscitis in Esculeto tulit, pronepos, PR. fuit A.V. 583.

HORTENSIA VXOR M.

Q. HORTENSIVS Augur, Tribunus militaris bello sociali A.V. 663. Ædilis curulis A.V. 678. COS. cum Q. Metello A.V. 684. quum ipsi in

Valerii Messallæ Cos. A.V. 692. sortitione prouinciarum Creta & bellum cum Cretensibus gerendum obtigisset: vrbe ac foro, in quo dominabatur, delectatus; collegæ exercitum & prouinciam concessit. Mortuus A. V. 703. Summus orator, senator sapientissimus, ciuis præstantissimus. MARTIA Hortensio liberorum causa, à marito Catone Vticense concessa.

HORTENSIA, quum ordo matronarum graui tributo à Triumviris oneraretur, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet: causam feminarum & constanter & feliciter egit, repræsentata patris facundia. Eam orationem posterior ætas summa cum admiratione legit.

Q. HORTENSIVS ORTALVS, PR. prouinciam Macedoniam obtinuit. Ab Antonio post pugnam Philippicam ad fratris monumentum occisus A.V. 711.

M. HORTENSIVM ORTALVM Valerius lib. 3. cap. 5. Corbionem appellat: & dissolutum, perditum atq; profugum fuisse scribit.



LXXIV.
OCTAVIA

Consule de hac C. Octauii Cæsaris Augusti familiam.



LXXV.
LICINIA LVCVLLORVM.

L. LICINIVS L. F. L. N. LVCVLLVS, Cos. cum A. Postumio A.V. 602. Hispaniam prouinciam sortitus: Vaccæos, Cantabros, & alias adhuc incognitas nationes subegit.

L. LICINIVS LVCVLLVS furti damnatus.

L. LICINIVS LVCVLLVS Quæsturæ diuturnum tempus, Muræna bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumsit: deinde absens creatus Ædilis: continuò Prætor: pòst in Africam missus eam iustissimè rexit: inde Cos. factus cum M. Aurelio A.V. 679. Bellum cum Mithridate nouem annis felicissimè sine vllo ærarii sumptu gessit: quem sæpe multis locis fudit: Cyzicum obsidione liberauit: Tigranem regum maximum in Armenia vicit: deque iis Cicerone Antonio Coss. triumphauit A.V. 690. Inde quum alienata mente desipere cœpit: tutela eius M. fratri est permissa.

L. LICINIVS LVCVLLVS pugna Philippensi cecidit.

M. LICINIVS LVCVLLVS Pontifex, Ædilis curulis cum fratre: Cos. cum C. Cassio A.V. 680. Bessis primus Romanorũ per Thraciam bellum intulit: quos ingenti prælio in Æmo monte superauit: ex Macedoniaque triumphauit. Ab M. Terentio Varrone adoptatus, propterea M. Terentius Varro Lucullus est appellatus.




LXXVI.
ÆMILIA SCAVRORVM.

M. ÆMILIVS SCAVRVS ex humili vita & humiliore genere nouus homo à fortuna sublatus (nam pater eius quamuis patricius, ob paupertatem carbonariam fecit) & princeps senatus factus A. V. 638. rem in Liguribus gessit. CENS. cum M.

Liuio A.V.644. viam strauit Æmiliam: & pontem Miluium fecit. Tanta eius fuit auctoritas, vt Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam, & Saturninum priuato consilio armaret.

M. ÆMILIVS SCAVRVS hippopotamos & crocodilos, & Andromedæ vestigia in ædilitate publicasse scribitur. Prætor prouinciam Sardiniam sortitus: & repetundarum postulatus apud M. Catonem Pr. à Cicerone defensus, absolutus est. A patre, quòd præsidium deseruerat, in eius conspectum venire prohibitus: ob hoc dedecus mortem sibi consciuit.




LXXVII.

SERVILIA VATIARVM.

P. SERVILIVS C.F, M.N. VATIA, COS. cum Ap. Claudio A.V.674. PROCOS. ad prædonum bellum missus: Ciliciam & Pamphyliam crudelissimè adortus, dum subdere studet, penè deleuit Lyciam: & vrbes eius obsessas oppressasq; cepit. Præterea Olympum montem peruagatus, Phaselim euertit, Corycum diruit: Tauri montis latera in Ciliciam vergentia perscrutatus, Isauros bello fractos in deditionem redegit: primúsque Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Triennio emenso, quo bellum gestum est, de Piratis triumphum egit omnium triumphorum gratissimum populo Romano atque iucundissimum: maiorúmque suorum titulis ISAVRICI cognomen adiecit A.V.679. CENS. cum L. Aurelio A.V.689.

P. SERVILIVS VATIA ISAVRICVS, COS. cum C. Iulio A.V.705. M. Cælio prætori, seditiones in Vrbe, nouarum spe tabularum solicitata plebe concitanti, magistratum abrogauit. COS. II. cum L. Antonio A.V.712.

SERVILIA sponsa C. Octauii Cæsaris Augusti, repudiata.



LXXIIX.

MARIA.

C. MARIVS C.F. municeps Arpinâs, humili atque obscuro loco natus: nulla maiorum commendatione, amplissimos honores est consecutus. Bello Numantino Scipione imperatore in Hispania merens, hostem ex prouocatione occidit. TRIB. PL. A.V.634. L. Metellum Cos. in carcerem coniecit: & legem de suffragiis tulit. Duabus repulsis ædilitatis acceptis, quum à spe consulatus longè abesset, & septimum annum post præturam iaceret: Q. Metellum, cuius legatus erat in Numidia, criminando apud Senatum, quasi bellum illud produceret: consulatum demum est adeptus A.V.646. quo in Africam missus cum exercitu: Iugurtham Numidiæ & Bocchum Mauritaniæ reges multis præliis attriuit: Iugurtham postmodò ipsum, Syllæ opera captum, cum duobus filiis in triumpho duxit Kal. Ianuarii A.V.649. secundo suo consulatu: qui ipsi ob Cimbricum bellum in quintũ vsque annum prorogatus est. Hoc autem bello gladios Teutonum & Cimbrorum in Remp. districtos, à ciuium iugulis fortiter reiecit: illis in Gallia apud Aquas Sextias, his in Italia in campo Caudio, magna strage profligatis atque deletis. Domum reuersus victor & triumphalis: magnóque omniũm fauore sextùm creatus COS. A.V.653. L. Appuleium Saturninum trib. plebis, & Glauciam prætorem seditiosos ex Senatusconsulto interemit: sicq; faces, ad vrbis excidium iam accensas, extinxit. Sed ad quid non impellit ambitio, ad quid non vindicta? Ille ipse libertatis Romanæ vindex, Mithridatici belli gerendi incredibili ardens cupiditate, quum Sulpicia rogatione Sullæ Consuli prouinciam eriperet: armis ab

ipso victus, vrbéque eiectus, in Minturnensium paludibus latuit, à quibus captus, & dimissus; accepta nauicula in Africæ oras desertissimas traiecit: ibique diu exulauit. Vnde à L. Cinna reuocatus, militem conscripsit: gladiúmque in Rempub. distringens, Vrbem cædibus, incendio, rapinis, ruina, miserû in modum repleuit. Quo furore animo nondum exsatiato, in pleuresin incidit: ediiísq; multis sceleribus, Idibus Ianuarii, tertiodecimo videlicet die, quàm septimum iniit cõsulatum, decessit A.V. 667. Vxor IVLIA, C. Iulii Cæsaris F. Dictatoris amita magna.

C. MARIVS adolescens xxv. annorum Consulatum inuasit A. V. 671. Patri sæuitia similis, curiam armatus obsedit: omnémque quæ in Vrbe erat, nobilitatem trucidauit. Ipse ad Sacriportum à Sulla, magna accepta clade, fugatus: & Præneste obsessus: quum tentata per cuniculum fuga, omnia septa intelligeret: cum Pontio Telasino, fugæ comite, stricto vtrinque gladio concurrit: eoque occiso, se saucium seruo iugulandum præbuit.




LXXIX.

LICINIA MVRÆNARVM.

L. LICINIVS MVRÆNA ex municipio Lanuuio, PR. A.V. 670. bellum cum Mithridate in Asia gessit, déque eo triumphauit A. V. 673.

L. LICINIVS MVRÆNA, legatus L. Luculli in Asia, Ædilis curulis A. V. 685. in circo pægma duxit, in quo fuere argenti pondo cxxiv. PR. VRB. A. V. 688. Galliam prouinciam est sortitus. COS. cum D. Silano A.V. 691. ambitus à Catone & Sulpicio accusatus, à Cicerone defensus, absolutus est.

C. LICINIVS MVRÆNA Propr. Galliam Transalpinam obtinuit.



LXXX.

TVLLIA CICERONVM.

M. TVLLIVS CICERO, municeps Arpinas, à Tullio Attic Volscorum rege suam deriuans originem, singulari virtute restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem habebat, ferenti legem tabellariam.

M. TVLLIVS CICERO, in filii consulatus petitione mortuus. Vxor OLBIA siue HELVIA.

M. TVLLIVS CICERO pater eloquentiæ, per omnium honorum gradus ad consulatum ascendit. Augur enim quum esset, primò Quæstorem egit in Sicilia Sex. Peducæo prætori A. V. 678. Ædilis curulis A.V. 684. Verrem de pecuniis repetundis accusauit: ludos trinos fecit. PR. REPETVND. A. V. 687. legem Maniliam suasit: Cluentium veneficii, Cornelium maiestatis defendit. COS. cum C. Antonio A. V. 690. saluberrimas leges tulit: Legem Rulli Agrariam fregit: Rabirium perduellionis reum defendit: Catilinæ coniurationem coercuit; ipso Catilina vrbe eiecto, de cõiuratis verò supplicio sumpto. Quo-

Q. TVLLIVS CICERO Ædilis curulis: legatus fuit Cæsaris in Gallia. Asiam PROCOS. triennium obtinuit. A Triumviris tandem proscriptus, & occisus.

Q. TVLLIVS CICERO, à Triumviris proscriptus, patrem abscondit: nec vllis tormentis cogi potuit, vt illum proderet. Quod quum pater ferre non posset, & semet prodidisset, ambo necati sunt.

L. TVLLIVS CICERO, cum M. Antonio Procos. in Ciliciam profectus.

L. TVLLII CICERONIS mentio fit lib. 5. de Finib.

circa

circa aliquanto pòst rogatione Clodia in exilium pulsus: breui omnium populi Romani ordinum summo consensu reuocatus est. Anno exinde V.C.702. in Ciliciam PROCOS. profectus: Erauam, Sepyram, Ceminorim, Eleutherocilicum & Pindenissum magna strage hostium cepit: & Tibaranos in deditionem accepit. Quocirca Imp. appellatus: absentíque supplicationes decretæ, & triumphus. Bello ciuili Pompeianas secutus partes: his profligatis, à Cæsare in gratiam est receptus. Senex tandem à M. Antonio in triumviratu, quòd nimium amans Reipub. esset, proscriptus: vnà cum patriæ libertate, quam ad extremum vsque spiritum constantissimè defenderat, periit A. V.711. ætatis suæ LXIII. Caput eius cum manu dextera pro Rostris positum est. Vxor TERENTIA tertium & centesimum explesse annum legitur apud Val. Max. lib. 8. cap. 14.

M. TVLLIVS CICERO Pontifex, Cos. cum C. Iulio A. V.723. imagines Antonii Senatusconsulto sustulit: ac ne quis Antoniorum Marci nomen vsurparet, edixit. PROCOS. Syriam obtinuit.

TVLLIA nupta Cn. Dolabellæ, partium Cæsarianarum: qui à Senatu hostis iudicatus, & in Syria multis præliis à Crasso victus, manus sibi intulit.

XXCI.

POMPEIA RVFORVM.

Q. POMPEIVS A. F. RVFVS, humili & obscuro loco natus, Cos. cum Cn. Seruilio A. V. 612. proconsulari imperio in Hispaniam profectus, Termestinos subegit: cum eisdem & Numantinis pacem ignobilem fecit. Romam reuersus, à clarissimis viris accusatus, absolutus est.

Q. POMPEIVS RVFVS, PR. VRB. A. V.663. Cos. cum L. Sulla A. V.665. in magistratu à militibus est occisus.

Q. POMPEIVS RVFVS, gener Sullæ, ab emissariis P. Sulpicii tribuni plebis occisus A. V. 665.

Q. POMPEIVS RVFVS TR. PL. A. V. 700. in carcerem, quòd comitia impediret, iussu Senatus coniectus.

SEX. POMPEIVS RVFVS, fuit absque honoribus.

SEX. POMPEIVS RVFVS, Cos. cum L. Cornificio A. V.718. ab Octauio Cæsare Sicilia pulsus: inque Asiam fugatus, & occisus.

SEX. POMPEIVS RVFVS, Cos. cum Sex. Apuleio A. V.766.

A. POMPEIVS RVFVS, obiit in Capitolio, quum deos salutasset.

A. POMPEIVS BITHYNICVS, vir summo studio dicendi, multáque doctrina incredibili labore ac industria.

A. POMPEIVS BITHYNICVS PR. in Sicilia à Sex. Pompeio Magni F. occisus.

XXCII.

POMPEIA MAGNORVM.

SEX. POMPEIVS, Cn. F. nullos honores adeptus.

CN. POMPEIVS STRABO, PR. à Picentibus victus: non ita multo pòst eosdem fudit. Cos. cum L. Porcio A. V.664 Marsos acie vicit: Vestinos & Pelignos in deditionem ac-

SEX. POMPEIVS præstantissimum ingenium contulit ad summam iuris ci-

cepit: Asculum cepit, & triumphauit. Bello ciuili Octauiano, vtramque partem fouendo, vires quum daret Cinnæ: nec nisi profligatis optimatium partibus, auxilium ferret, fulmine extinctus traditur. Lectum eius populus diripuit: corpus vnco traxit A. V. 666.


uilis, & perfectam geometriæ ac Stoicarum rerum scientiam.

Cn. Pompeius, qui postea propter res in prima ætate præclarè fortitérque gestas Magni cognomine a Sulla, cuius partes bello ciuili fuerat secutus, est decoratus: Augur & Eques Rom. nullo honore functus, à Sulla Dictatore in Siciliam missus, eam à proscriptis sine bello recepit: Cn. Domitium & Regem Numidiæ Hiarbam ingenti prælio superauit: illum occidit, hunc cepit: déque ipso XXIV. natus annos triumphauit, A.V.672. M. Lepidum Procos. arma patriæ inferentem, priuatus Italia pepulit: cum imperio consulari aduersus Sertorium in Hispaniam missus: ipso & Perpenna difficili bello profligatis & occisis Hispaniam recepit. Cos. quum per ætatem fieri non posset: Senatusconsulto legibus solutus, Cos. creatus est cum M. Crasso A.V.683. Triennio pòst rogatione A. Gabinii tribuni plebis, piratas persequi iussus: per legatos quindecim rem prosperè gessit: omnésque, qui vbique prædones fuerunt, intra XL. diem partim cepit, & interfecit; partim in deditionẽ accepit. Lege inde Manilia ad bellum Mithridaticum similiter extra ordinem profectus: Mithridatem Asiæ, Tigranem Armeniæ, Artocem Iberiæ, Aretam Arabum, Hircanum & Aristobulum Iudææ Reges maximis præliis vicit, & cum plurimis aliis gentibus in potestatem populi Rom. redegit: de quibus omnibus gloriosissimum egit triumphum A.V. 692. prid. Kal. Octobris, die natalis sui. Mox diuiso orbis imperio, quum Crassus Syriam, Cæsar Galliam, ipse Vrbem obtineret: post Crassi cædem Cæsarem dimittere exercitum iussit. Cuius infesto aduentu Vrbe pulsus; & in Pharsalia, maxima accepta clade, fugatus: in Ægyptum fugit, vbi Ptolemæi Regis iussu ab Achilla in nauicula, antequam in terram egrederetur, confossus est prid. Kal. Octobris A.V.705. ætatis suæ LIX. Vir omnium certè seculorum & nationum facilè princeps: qui fines Imperii Romani (vt Cicero in Catilinam scribit) non terræ, sed cœli regionibus terminauit. Fuere in eius connubio Ivlia C. Iulii Cæsaris Dict. F. & Cornelia.

Cn. Pompeivs Magnvs, bello Pompeiano classis Ægyptiæ præfectus: Cæsaris ad Oricum naues partim abduxit, partim incendit. Post patris cædem in Hispaniam à Catone missus: bellum cum Cæsare gessit, à quo ad Mundam victus, & in fuga occisus est A.V.7_8.

Sex. Pompeivs Magnvs Hispaniensi Cæsaris bello, è Corduba, vbi obsidebatur, elapsus: in Lacetania aliquandiu latuit. Post cuius cædem, à Senatu reuocatus, & toti maritimæ oræ præfectus, armis Siciliam occupauit, maria omnia latrociniis infesta reddidit, Augustum & Antonium variis præliis exercuit. Tandem ab Agrippa nauali prælio victus, in Asiam profugit: vbi iussu Antonii à M. Titio legato captus & interemptus est A.V. 717. Vxor Scribonia F. L. Scribonii Libonis, soror Scriboniæ vxoris Octauii Augusti.

Pompeia desponsata M. Marcello, sed nupta Scribonio Liboni agnato.



XXCIII.

ANTONIA.

M. Antonivs, homo eloquentissimus, Pr. in Cilicia maritimos prædones persecutus, de iis triumphauit A.V. 651. Triennio pòst ex lege consulatum cepit, & ab hinc biennio censuram. Bello tandem ciuili Mariano est occisus A.V. 666.

M. Antonivs curator totius oræ maritimæ, qua Romanum erat imperium, cõstitutus: Siciliam & prouincias omnes fœ-

C. Antonivs Ædilis curulis, ludos scena argentea fecit. Cos. cum M. Tullio A. V. 690. Catilinam in agro Pistoriensi deuicit. dè depo-

†† dè depopulatus est: & ad extremum indicto Cretensibus bello, (vnde CRETICO illi cognomen adhæsit) malè regesta, ibidem periit A. V. 685. Vxor IVLIA, L. Iulii Cæsaris F.

* In Macedoniam inde profectus, & à Dardanis oppressus, amisso exercitu fuga salutem petiit. Rómam reuersus, à Cælio accusatus, damnatus est.

L. ANTONIVS PIETAS TRIB. PL. A. V. 709. Cos. cum P. Seruilio A. V. 712. triumphauit ex Alpibus. Ab Octauio Augusto ad Perusiam victus: incolumis est dimissus.

M. ANTONIVS Triumvir, causa & fax totius belli ciuilis fuit. Quippe quum esset Tribunus, clam ex Vrbe ad Cæsarem in Galliam profugit: & Mutinam, Bruti prouinciam inuadentem, hortante Cicerone, Senatus hostem iudicauit. Superatus ab Hircio & Pansa Coss. ac Cæsare puero: iterum in Galliam profugit, M. Lepidū cum legionibus sibi iungens; cum quo & Cæsare Triumviratus fœdere inito, proscriptionem Sullanam renouauit: Brutum & Cassium in Macedonia apud Philippos superauit: multos per Orientem Reges & Tetrarchas debellauit; Antigonum Iudæorum Regem securi percussit. Fuluiæ vxori, quò Octauiam C. Cæsaris sororem duceret, inito Triumviratu, repudium misit: vtramq; postremò ob Cleopatram Ægypti Reginam contemsit. Parthis bellum inferens, duabus legionibus amissis, in Armeniam infeliciter repedauit. Ab Augusto tandem Cæsare ad Actium nauali victus prælio, Alexandriam profugit, vbi ab eodem obsessus, violentas sibimet intulit manus A. V. 722. ætatis suæ LVI. Vir in otio luxuriosissimus, in negotio laboriosissimus. Exemplum eius imitata Cleopatra; ne in hostis potestatem veniret, & per ludibrium in triumpho circumduceretur: aspidibus corpori admotis, extremum vitæ diem clausit.

C. ANTONIVS post præturam, quam cum Bruto gesserat Apolloniæ captus, & ab Hortensio Bruti iussu occisus A. V. 711.

ANTYLLIVS ex Fuluia genitus, apud patrem Alexandriæ egit.

IVLIVS ANTONIVS, matre Octauia natus Cos. cum Q. Fabio Max. A. V. 743. ob adulterium cum Iulia Augusti Cæsaris F. commissum, ab Augusto occisus est.

L. ANTONIVS adolescentulus, ab Augusto Cæsare Massiliam, prætextu studiorum, reuera autem in exilium missus, ob patris delictum.

ANTONIA Maior, vxor Cn. Domitii, auia Neronis Domitiani Imp.

ANTONIA Minor, fuit in matrimonio Drusi. Fœmina honestissima & continentissima.

victoriam Romæ ſaga poſita ſunt. Bello tandem ciuili, cum aliis multis præcipuæ nobilitatis viris, à Marianis eſt peremptus A.V. 666. Vxor FVLVIA M. Fuluii Flacci Coſ. F.

…etis, ſalis, ſuauitatis, leporis. Ædilicius à Marianis eſt occiſus A. V. 666.

L. IVLIVS CÆSAR Coſ. cum C. Figulo A.V. 689. à Triumviris eſt proſcriptus A.V. 710.

IVLIA vxor M. Antonii Cretici.

L. IVLIVS CÆSAR, PROQ. fuit Catoni in Africa bello ciuili Cæſareano: Cæſaris iuſſu interfectus A. V. 707.

C. IVLIVS Sex. F. Sex. N. CÆSAR nullo magiſtratu aut egregio facinore nobilitatus. Vxor MARCIA.

C. IVLIVS CÆSAR vir prætorius, Piſis dum mane calciaretur, repentina morte extinctus A. V. 670. Vxor AVRELIA C. Cottæ F.

IVLIA vxor C. Marii Arpinatis Coſ. ſepties.

SEX. IVLIVS CÆSAR, Coſ. cum L. Marcio, initio belli Socialis A.V. 662.

SEX. IVLIVS CÆSAR vixit inglorius.

SEX. IVLIVS CÆSAR, Quæſtor Syriam prouinciã obtinuit. A militibus ſuis occiſus.

IVLIA Maior vxor M. Atii Balbi Aricini, viri prætorii: auia Octauii Cæſaris Augusti, obiit A.V. 702.

IVLIA Minor vxor Æmilii Lepidi, auia Q. Pedii collegę Augusti, qui Procoſ. de Hiſpania triũphauit III. Id. Octobr. A. V. 719.


C. IVLIVS CÆSAR, Pontifex Maximus, per omnium honorum gradus ad conſulatum aſcendit. Inauguratus itaque primùm Coſ. A. V. 694. leges Agrarias cum maxima contentione inuito Senatu tulit. PROCOS. Galliam prouinciam ad decennium ſortitus: omnem Galliam, quæ ſaltu Pyrenæo, Alpibúſque, & monte Gebenna, fluminibúſque Rhodano & Rheno continetur, nouem annis ſubegit pacauitq;: Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggreſſus, maximis affecit cladibus: Britannos quoque aggreſſus, ipſis deuictis pecunias & obſides imperauit. Deinde quum obtinere non poſſet; vt ſui abſentis in Conſularibus Comitiis haberetur ratio: arma in patriam conuertit: neminéque reſiſtęnte, Galliam Ciſalpinam, Picenum, Vmbriam & Hetruriam occupauit: Pompeiúmque Italia expulit: quem breui validiſſimis eius copiis in campis Pharſalicis ſuperatis, funeſtiſſimo prælio profligauit A. V. 705. Pompeio fugato, magna inde virtute Ptolemæum ad Alexandriam deleuit, Ægyptum ſubegit: Pharnacem in Ponto ſuperauit: in Africa cum Pompeianis reliquiis, puta Scipione, Catone, & Rege Iuba; in Hiſpania ad Mundam cum Cneio & Sexto Pompeii filiis, non abſque magno periculo, manus conſeruit: de quibus omnibus debellatis magnificentiſſimè quinos egit triũphos. Bellis ciuilibus omnibus confectis, noui exquiſitiſſimiq; à Senatu ipſi decreti ſunt honores: qui eius exitio viam aperuerunt. Inuidiæ acceſſit immoderata arrogantia, regiæq; appellationis libido. A paucis itaque orta coniuratio, paulatim in plures ſerpſit: adeo vt ſexaginta amplius ſenatores in eius mortem conſpirarint: à quibus in Curia Pompeii XXIII. vulneribus confoſſus periit A.V. 709. Idib. Martii. Sicis, qui olim terrarum orbem ciuili ſanguine; nunc curiam Romanam ſuo impleuit ſanguine. Annos vixit LV. completos, cum menſibus octo, & diebus quatuor. Sepultus in campo Martio. Vxores eius memorantur quatuor: Primam COSSVTIAM familia equeſtri repudiauit: altera fuit CORNELIA Cinnæ IV. Coſ. F. tertiæ POMPEIÆ Q. Pompeii filiæ, nepti Sullæ Dictatoris ſimiliter miſit repudium: vltima fuit CALPVRNIA L. Piſonis F. Concubinas item habuit duas: CLEOPATRAM Ægypti, & EVNOEM Mauritaniæ Reginas.

IVLIA ex ſecundo nata connubio, quum Ædilitiis Comitiis Cn. Pompeii Magni, coniugis ſui, veſtem cruore

CÆSARIO ex inceſto concubitu Cleopatræ genitus,

conſperſam è campo domum relatam vidiſſet: territa metu, ne qua vis ei eſſet illata, exanimis concidit: partúmque graui corporis dolore eiicere coacta, ſimul expirauit A.V.701.

pòſt illius exceſſum ex India reuocatus: & perfidia ſui pædagogi ab Auguſto Cæſare peremptus.



II.

OCTAVII CÆSARIS AVGVSTI.

Cn. Octavivs Cn. F. Quæſtorius obiit. Eius maiores olim à Tarquinio Priſco rege in Senatum lecti; & à Seruio Tullio inter patricios cooptati: procedente tempore ad plebem ſe contulere.

Cn. Octavivs Pr. A.V. 582. Propr. ex Macedonia de rege Perſeo naualem triumphum egit Kal. Decemb. A. V. 586. Is triumphus ſine captiuis fuit, ſine ſpoliis. Cos. cum T. Manlio A. V. 588. legatus à ſenatu miſſus in Syriam ad animos regum liberorúmque populorum perſpiciendos: maximéque, vt nepotem Antiochi regis claſſes habere, & elephantos alere prohiberet: Laodiceæ in gymnaſio à quodam Leptine eſt interfectus A. V. 591.

Cn. Octavivs Cos. cum T. Annio A.V. 625.

Cn. Octavivs Cos. cum P. Cornelio A.V. 666. in magiſtratu à Marianis eſt occiſus.

C. Octavivs Cos. cum C. Aurelio A.V. 678. in Cilicia, quæ ipſi prouincia obtigerat anno proximo deceſſit.

M. Octavivs fuit abſq; honorib.

Cn. Octavivs Cos. cum M. Scribonio A.V. 677.

C. Octavivs in equeſtri ordine, nullis honoribus functus, permanſit.

C. Octavivs ſecundo bello Punico ſtipendia fecit in Sicilia tribunus militum, Æmilio Papo imperatore A. V. 528.

C. Octavivs municipalibus magiſteriis contentus, abundante patrimonio, trãquilliſſimè ad ſummam ſenectutem vixit.

C. Octavivs à principio ætatis & re & æſtimatione magna, amplis innutritus opibus; honores & adeptus eſt facilè, & adminiſtrauit egregiè. Ex prætura Macedoniam ſortitus: fugitiuos, reſiduam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit: negotio ſibi extra ordinem dato. Prouinciæ præfuit non minore iuſtitia, quàm fortitudine. Namq; Beſſis & Thracibus magno prælio fuſis, liberaliſſimè ſocios tractauit. Macedonia decedens, Nolæ morte obiit repentina A. V. 694.

Ex Atia filia M. Atii Balbi Aricini, & Iuliæ, C. Iulii Cæſaris germanæ, — Liberi eius — *Ex Ancharia vxore prima,*

Octavia Minor nupſit M. Antonio Triumviro: à quo repudiatam Auguſtus quadriennio pòſt M. Agrippæ ſuo in conſulatu collegæ deſpondit.

C. Octavivs Cæsar Avgvstvs, Iulii Cæſ. Dictatoris nepos, & per adoptionem filius: patrem amiſit quadrimus: duodecennis auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. Auunculum magnum in Hiſpanias ſecutus aduerſus Cn. Pompeii liberos, magnopere demeruit. Imperium à Senatu admodum adoleſcentulus accepit, cum conſularibus ornamentis: & M. Antonio ad Mutinam fugato, Conſulibúſq; occiſis, ipſemet ſe cum Q. Pedio, hærede Cæſaris ex quadrante, Conſulem fecit A. V. 710. Mox reconciliatus M. Antonio, ſe cum eo, & M. Lepido Triumvirum Reipub. conſtituendæ cum ſummo imperio in quinquennium renunciauit: & Sullanam pro-

Octavia Maior vxor M. Marcelli Cos. A. V. 731.

proſcriptionem cum collegis renouauit: Brutum & Caſſium, Cæſaris percuſſores In Philippis; L. Antonium Cos. ad Peruſiam; Sex. Pompeium in Sicilia debellauit: M. Antonium ad Actium nauali prælio ſuperauit. Sic itaque duodecimo demum imperii anno, pulſis ac interfectis parricidis, tyranníſque Rempub. vſurpare conantibus: bellis ciuilibus, quibus per totum illud tempus conflictatus fuit, & finem impoſuit: & orbis terrarum monarchiam eſt adeptus: & Augusti & Patris patriæ cognomine eſt decoratus: & tribunitiam in perpetuum accepit dignitatem. Imperio ſuſcepto, vnicum Cantabricum in Hiſpania geſſit bellum: reliqua per legatos adminiſtrauit. Prouincias domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni, Rhętiam, Vindelicos, & Salaſſos gentes Alpinas: Dacorum incurſiones coercuit: alias item nationes malè quietas ad obſequium redegit. Pace terra maríque parta, Vrbem ampliſſimo triumpho inuectus, Ianum tertiò clauſit, die ante natum Chriſtum Emmanuelem CCCLIII. Graues ignominias, cladéſque duas omnino, nec niſi in Germania accepit: Lolianam, & Varianam: illam maioris infamiæ, quàm detrimenti; hanc penè exitiabilem. Nolæ tandem in Campania ſiue morbo, ſiue Liuiæ vxoris dolo, vitam cum imperio reliquit XIV. Kal. Septembris, A.C. 16. Sepultus Romæ in campo Martio. Annos vixit LXXV. menſes decem, dies XXVII. horas circiter quatuor. Sponſam adoleſcens habuit SERVILIAM, P. Seruilii Iſaurici F. qua repudiata, duxit CLAVDIAM, P. Clodii & Fuluiæ natam, priuignam M. Antonii Triumviri: quam & ipſam, ſimultate cum Fuluia ſocru exorta, dimiſit intactam adhuc & virginem. SCRIBONIAM exinde L. Libonis F. matrimonio ſibi iunxit, nuptam antè duobus conſularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac ſimiliter fecit diuortium, pertæſus morum ipſius: ac ſtatim LIVIAM Druſillam matrimonio Tib. Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitq; ac probauit vnicè & perſeueranter.

IVLIA ſeptem annorum puella à patre, bellis ciuilibus implicato, promiſſa Cotiſoni Getarum regi, pòſt M. Marcello amitino deſponſata, ipſo defuncto, M. Agrippæ nupſit: poſt cuius exceſſum, Tiberio Cęſari collocata: ob vitæ tandem turpitudinem à patre in inſulam Pandatariam, Campaniæ vicinam, eſt relegata: matre Scribonia ſponte ſua in exilium eam comitante A.V. 748. Ex inſula quadriennio pòſt reuocata; Rhegiorum oppido clauſa eſt: vbi extremum diem clauſit A. C. 16. *Ex M. Agrippa quinq. ſuſtulit liberos:*

C. IVLIVM CÆSAREM, bimum ab Auguſto Cęſ. auo adoptatum; & principem Iuuentutis appellatum: ſed adoleſcentem in Lycio defunctum.

L. IVLIVM CÆSAREM, infantem recens editum ab Auguſto auo materno adoptatum A.V. 737. & Maſſiliæ in ipſo adoleſcētiæ flore extinctum.

M. IVLIVM CÆSAREM AGRIPPAM, Poſthumum, ab Auguſto Cæſ. auo adoptatum: ſed breui ob ſordidum ac ferox ingenium abdicatum, Surrentúmque ſepoſitum: & tandem à Tiberio ſub Imperii ipſius limine crudeliter interemptum A. C. 16.


Filias duas:

IVLIAM L. Paulo collocatam, matrem Æmiliæ Lepidæ vxoris Claudii Imp. mulierem omnibus probris contaminatam, & ab auo relegatam.

AGRIPPINAM Germanici Cæſaris conſortem, matrem Caligulæ Imp. in exilio mortuam A. C. 36. XV. Kal. Decembris.

III.

CL. TIBERII NERONIS CÆSARIS.



Familiæ ἔκφρασις.

TIB. CLAVDIVS Ap. F. Ti. N. NERO, ex familia Claudia Regillensium oriundus, Quæstor C. Cæsaris, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & P. Scipioni in Pontificatu substitutus: & ad deducendas in Galliam colonias est missus. Prætura deinde functus, quum exitu anni discordia inter Triumviros esset exorta; retentis vltra iustum tempus insignibus, L. Antonium Cos. ad Perusiam secutus est: vbi deditione à cæteris facta, solus permansit in partibus: ac primùm Præneste, inde Neapolim euasit: mox ad M. Antonium Triumvirum in Achaiam traiecit. Cum quo breui, redintegrata inter omnes pace, Romam reuertens: vxorem LIVIAM Drusillam tunc grauidam, petenti Augusto Cæsari concessit: nec multo pòst diem obiit. Filios habuit duos, quorum

CL. TIBERIVS NERO, ab Augusto Cæsare vitrico adoptatus, & in Imperio successor nominatus: satis prudens fuit in armis, & liberalium disciplinarum Græcè & Latinè doctus; sed ingenio admodum libidinoso, crudeli, & insidioso: simulans ea se velle, quæ nollet. Vnde etiam, quum immani furore insontes suos pariter atque exteros puniret: Armenia à Parthis, Mæsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus est direpta. Bella tamen maxima gessit tria, Rheticum, Pannonicum, & Germanicum: de quibus & ouationem & triumphũ retulit. Cæterùm & vini adeo fuit auidus, vt per iocum Caldius Biberius Mero fuerit vocitatus. Periit Miseni in villa Lucullana prope Neapolim, quum lentum venenum à C. Caligula (sicut suspicio est) hausisset, postridie Id. Martii A. C. 38. septuagenario maior annis septem, mensibus quatuor, die vno. Sepultus Romæ in campo Martio. Liberos genuit

ex VIPSANIA Agrippina, M. Agrippæ & Atticæ filia, nepte Pomponii Attici Eq. Rom. ad quem sunt Ciceronis epistolæ; vxore priore, quam post repudiauit,

DRVSVM Cæsarem, animi fluxioris, remissiorisque vitæ adolescentem, ab Ælio Seiano præfecto prætorio veneno necatum A. C. 25. genitorem ex LIVIA patruele

TIBERII CÆSARIS, à Caligula occisi.

IVLIÆ primò Neroni Cæsari, pòst Rubellio Blando nuptum collocatæ.

ex IVLIA Augusti Cæsaris F. in exilio mortua,

TIBERIVM Cæsarem, infantem extinctum.

CL. DRVSVS matre Liuia Augusto Cæsari grauida nupta, intra tertium mensem natus: in quæsturæ præturæq; honore, dux Rhetici, deinde Germanici belli: primus Romanorum ducum Septentrionalem nauigauit Oceanum: auxiliisque fratris, Rhetos, Vindelicos, Noricos, in ditionem redegit Romanam: quam ob rem ouandi ius & triumphalia ornamenta accepit. Trans Rhenum quoque fossas noui & immensi operis fabricauit: quæ adhuc Drusinæ vocantur. Consulatu post præturam inito, atque expeditione repetita, inter Rhenum & Salam flumina fortiter dimicans, equo super crus eius collapso, tricesimo, quàm id acciderat, die oppetiit in castris æstiuis Moguntiæ: vbi monumentum eius adhuc monstratur

ſtratur A.V.746. ætatis ſuæ trigeſimo. Corpus Romam deuectum, & in campo Martio ſepultum. Epicedion eius extat apud Ouidium in epiſt. ad Liuiam Druſillam. Ex ANTONIA *Minore M. Antonii Triumviri F. ipſi nati*

GERMANICVS CÆSAR à Tiberio patruo adoptatus: Quæſturam quinquennio antè, quàm per leges licuit, & mox quoque conſulatum geſſit. Sub Auguſti Cæſaris penè obitum in Germaniam miſſus ad vindicandam cladem Varianam: egregiis aliquot prælìis Cattos & Cheruſcos, ipſorúmque ducem Herminium fudit; déque eis aliiſque Germaniæ populis, qui ad Albim vſque colunt, ampliſſimum Romæ triumphum egit VII. Kal. Iunii A.C.19. Conſul deinde anno proximo iterum creatus: ac priuſquam honorem iniret, ad componendum Orientis ſtatum emiſſus: Armeniæ rege debellato, & Cappadocia in prouinciæ formam redacta: annum ętatis agens XXXIV. diutino morbo Antiochiæ obiit, non abſque veneni, à Cn. Piſone Syriæ præfecto ſubminiſtrati ſuſpicione. Heros doctus, popularis, pace & bello inclytus. Vixit in eius cõnubio AGRIPPINA M. Agrippæ filia, neptis C. Cæſaris Auguſti: mater ex ipſo facta

NERONIS Germanici, cum matre à Tiberio Cæſare, a matris Liuiæ exceſſu immani crudelitate in Germanici domum ſæuiente, in inſulam deportati A. C. 32. Deſponſa ipſi primò forum ingreſſo & Pontifici IVLIA *Druſi F.*

DRVSI GERMANICI, a Tiberio Cæſare fame necati A. C. 35. Fuere in eius matrimonio SALVIA *ſoror Othonis Imp. &* ÆMILIA *Lepida.*

C. CÆSARIS CALIGVLÆ, hominis, omni genere libidinum & crudelitatis polluti ſſimi: qui nihil domi foriſve ſtrennè geſſit: auaritia omnia expilauit: tribus ſororibus ſtuprũ intulit: multos ſenatores, alioſq. ciues crudeliter iugulauit: vnam ceruicem populi Rom. optans, quò faciliùs vno ictu abſcindi poſſet: immò qui eò quoque dementiæ venit, vt ſe tanquam deum adorari edixerit. Ad extremum Caſſii Chereæ & Cornelii Sabini, tribunorum cohortis prætoriæ, aliorúmque coniuratione, triginta vulneribus in angiportu confoſſus periit IX. Kal. Febr. A. C. 42. Vixit annos duodetriginta, cum menſibus quatuor, & diebus XXV. Funeratus primò in hortis Lamianis Romæ: mox in campo Martio in Cæſarum manſoleo. Vxores habuit quatuor: IVNIAM CLAVDILLAM *M. Silani viri nobiliſſimi F. δυςτοκίᾳ extinctã:* LIVIAM HORESTILLAM *C. Piſonis vxorem, intra paucos dies repudiatam, biennio poſt relegauit:* LOLLIAM PAVLINAM, *C. Memmii conſularis viri vxorem, ſimiliter repudiauit:* CÆSONIAM *ex altero marito trium filiarum matrem, ſed luxuriæ ac laſciuiæ perditã, gladio à centurione eodem die, quo Caligula ipſe, confoſſam. His nata*

IVLIA DRVSILLA per omnium dearum templa circumlata, Mineruæ gremio à patre eſt impoſita, alendaque & inſtituenda commendata: ſed quæ puella adhuc, at feris & aſperis moribus, à centurione parieti illiſa, animam euomuit.

Trium filiorum ἀνωνύμων: quorum duo infantes adhuc; tertius iam puaraſcens inſigni feſtiuitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Liuia dedicauit; fato ſunt abrepti.

IVLIÆ, quæ a Caligula fratre ſtuprata, poſtmodo nupſit M. Vinicio P. F.

DRVSILLÆ ſcorti Caligulæ fratris: quæ poſt nuptum tradita eſt L. Caſſio A.C.34.

AGRIPPINÆ, quæ priore marito Cn. Domitio defuncto, nupſit Claudio Imperatori, ſuo patruo. A Domitio Nerone filio, qui cum non ita pridem inceſtum commiſerat, tandem ferro eſt occiſa A. C. 62. Colonia Agrippina ab hac nomen ſortita exiſtimatur: quòd ipſa, vt vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret, in oppidum Vbiorum, vbi genita fuit, veteranos coloniam deduci imperauerit.

LIVIA Druſo, Claudii Tiberii Imp. Rom. filio, ſuo patrueli collocata.

TIB. CLAVDIVS DRVSVS Imperium Romanum fato potiùs ac fortunæ ludibrio, quàm hominum conſilio, adeptus eſt quinquagenarius: quippe qui Caligula perempto latitabat, extrema pertimeſcens. Omnibus ille quidem liberalibus ſtudiis deditus, nec infacundus, nec indoctus fuit: ſed ex contubernio ſordidiſſimorum hominum tantam labem, tantam contraxit infamiam: vt quid in eo potiſſimùm accuſes, neſcias: adeò væcordia cum ſæuitia certabant: quibus Imperium per annos ferme quatuordecim vexauit. Pompeium & Syllanum generos interemit: triginta item equites, & XXXV. ſenatores. Sponſas admodum adoleſcens duas habuit: ÆMILIAM Lepidam, Auguſti Cæſaris proneptem, quam virginem repudiauit: & LIVIAM Medullinam, ipſo die nuptiis deſtinato defunctam. De vxoribus paulò pòſt. Ad extremum AGRIPPINÆ fraude, boletis veneno illitis necatus eſt III. Id. Octobris A.C.55. Vita ipſi annorum LXIII. menſium duorum, dierum tredecim. Liberos genuit

¶ ex PLAVTIA Herculanilla, M. Plautii triumphalis F. cum qua ob libidinum probra & homicidii ſuſpicionem diuortium fecit:

DRVSVM POMPEIVM, adolescentem piro per ludum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum.

CLAVDIAM: sed quae ex liberto Botere concepta, & ante matris ianuam nuda exposita fertur.

¶ ex ÆLIA Paetina, Sex. Ælii consularis filia, cum qua similiter ex leuibus offensis diuortium fecit,

ANTONIAM Cn. Pompeio, deinde Fausto Syllae collocatam.


¶ ex VALERIA Messallina, Valerii Messallae sui consobrini F. quam ob quaedam flagitia vltimo affecit supplicio,

BRITANNICVM, antè Germanicum dictum; à Domitio Nerone veneno sublatum A.C. 58.

OCTAVIAM Syllano desponsatam, sed Domitio Neroni nuptum traditam.

¶ ex AGRIPPINA Germanici fratris sui filia, cuius fraude ipse periit,

Nullos.



IV.

NERONIS DOMITIANI.

CN. DOMITIVS L.F. L.N. Ahenobarbus, PR. A.V. 559. COS. cum L. Quinctio A.V. 561.

CN. DOMITIVS Ahenobarbus, cum P. Corn. Lentulo suffectus P. Scipioni & C. Marcio Coss. sese abdicantibus A.V. 591.

CN. DOMITIVS AHENOBARBVS TR. PL. pòst COS. cũ C. Fanio A.V. 631. Allobroges Gallos ad oppidum Vindalium grauissimo bello vicit: déque eis & Aruernis triumphans, elephanto per prouinciam inuectus est: turba militum quasi inter solennia triumphi prosequente. CENS. cum L. Caecilio A. V. 638. artem ludicrã ex Vrbe remouit, praeter Latinum tibicinẽ cum cantore, & ludum talorũ.

CN. DOMITIVS Ahenobarbus PONT. MAX. postea verò in tribunatu plebis pontificibus offensior, quòd aliũ quàm se in patris sui locum cooptassent; ius sacerdotum subrogandorum à collegiis ad populum transtulit. COS. A. V. 657. C. Cassium Longinum; CENSOR quadriennio pòst collegam habuit L. Licinium Crassum oratorem: qui in eum dixit, Non esse mirandum, quòd aeneam barbam haberet; cui esset os ferreum, cor plumbeum.

L. DOMITIVS Ahenobarbus PR. Siciliam prouinciam obtinuit. COS. cum C. Caelio A.V. 659.

L. DOMITIVS Ahenobarbus, Ædilis curulis vrsos Numidicos centum & totidem Æthiopas venatores in circo Romano edidit A. V. 692. PR. triennio pòst, Caesarem abeuntem consulatu, quem aduersus auspicia legésque gessisse existimabatur, ad disquisitionem Senatus vocauit. Triennio ab hinc consulatum petens, sed repulsam passus: mox proximo anno, qui est V. C. 699. COS. creatus est cum Ap. Pulcro. Ex consulatu in Galliam vlteriorem profectus proconsulari imperio, principio ciuilis belli à Caesare ad Corfinium est captus. Vnde dimissus, Massilienses obsidione laborantes, quum aduentu suo confirmasset, repentè destituit. Post Pharsalicam demum pugnam ex castris in montem refugiens ab equitibus est interfectus A. V. 705. Vir neque satis constans, & ingenio truci.

CN. DOMITIVS Ahenobarbus inter conscios Caesareanae nécis lege Pedia damnatus, ad Cassium & Brutum confugit: post vtriusque interitum, cum M. Antonio se coniunxit. COS. fuit cum C. Sosio A. V. 721. Bello verò ciuili Antoniano transiit ad Augustum, & paucis diebus pòst diem obiit.

CN. DOMITIVS Ahenobarbus, homo arrogans, profuſus, immitis. Ædilis Curulis, L. Plancium cenſorem via ſibi decedere coegit: Prçturæ conſulatúſq; honore, equites Romanos matronáſq; ad agendum mimum produxit in ſcenam. Vxor ANTONIA Maior, Antonii Triumviri F.

L. DOMITIVS Ahenobarbus Cos. cum P. Cornelio A.V.737.


CN. DOMITII Ahenobarbi meminit Paterculus lib.2.

CN. DOMITIVS Ahenobarbus Cos. cum M. Furio A. V.784. vir omni parte vitæ deteſtabilis. Siquidem comes ad Orientem C. Cæſaris iuuenis, occiſo liberto ſuo, quòd potare quantum iubebatur recuſarat, dimiſſus à cohorte amicorum nihilo modeſtiùs vixit: ſed & in viæ Appiæ vico repentè puerum citatis iumentis haud ignarus obtriuit: & Romæ medio foro cuidam equiti Romano liberiùs iurganti oculum eruit. Perfidiæ verò tantæ, vt non modò argentarios pretiis rerum coemptarum; ſed & in prætura mercede palmarum aurigarios fraudauerit. Maieſtatis quoque & adulteriorum, inceſtique cum ſorore LEPIDA, ſub exceſſu Tiberii reus, mutatione temporum euaſit. Deceſſit Pyrgis morbo aquæ inter cutem. Axor AGRIPPINA Germanici Cæſaris F.

DOMITIA LEPIDA vxor Valerii Meſſallæ, mater Valeriæ Meſſallinæ vxoris Claudii Imp.

CN. DOMITIVS Ahenobarbus, ab Imp. Claudio adoptatus, NERO CLAVDIVS DOMITIANVS eſt appellatus. Portentoſæ libidinis monſtrum veriùs, quàm Imperator: immò fax totius orbis, impuráque ſcelerum omnium ſentina: poſt maiora numero flagitia hoſtis patriæ iudicatus, quum ad pœnam quæreretur; vt nimirum collo in furcam coniecto, ad mortem vſque virgis cæderetur: fugiens ſemet ictu gladii tranſegit, adiuuante trepidantem manum Sporo eunucho impuriſſimo, A.C.69. IV. Id. Iunii: quo die quondam OCTAVIAM vxorem interemiſſe ſcribitur. Sepultus in monumentis auitis Domitiorum. Vita illi annorum XXX. menſium quinque, dierum XXVI. Poſt Octauiam, Claudii Cæſ. filiam, duxit POPPÆAM Sabinam, Poppæi Sabini Quæſtoris F. priùs Rufino Criſpino equiti Rom. nuptam: quam & ipſam ictu calcis occidit: cui ſuperinduxit STATILIAM Meſſalinam, Tauri bis conſulis atq; triumphalis abneptem, vxorem Attici Veſtini Coſ. quem, vt ipſa potiretur, in ipſo magiſtratu trucidauit.

CLAVDIA matre Poppæa genita, infans extincta.



V.

SERVII GALBÆ.

SERVIVS P.F. SVLPICIVS GALBA, ex Sulpicia gente, cuius ſupra in Coſſ. facta eſt mentio, procul dubio oriundus: cætera obſcurus.

P. SVLPICIVS GALBA, Cos. cum Cn. Fuluio A.V.542. DICT. Comitiorum habendorum cauſa A.V.550. Cos. II. cum C. Aurelio A.V.553. exercitu in Macedoniam ducto, equeſtribus præliis cum Philippo rege benè pugnauit.

SER. SVLPICIVS GALBA, vir conſularis, orator temporum ſuorum eloquentiſſimus: Hiſpaniam ex prætura obtinens, triginta millia Luſitanorum perfidia trucidatis, Viriatini belli cauſa extitit. Cos. cum L. Aurelio A.V.609.

SER. SVLPICIVS GALBA Cos. cum M. Aurelio A.V.646.

SER. SVLPICIVS GALBA ob repulſam conſulatus infenſus C. Iulio Cæſari, cuius legatus in Gallia fuerat, in eum cum Caſſio & Bruto conſpirauit: propter quod lege Pedia damnatus eſt.


SER. SVLPICIVS GALBA clarior studiis, quàm dignitate. Non enim egressus praeturae gradum, multiplicem nec incuriosam historiam edidit.

C. SVLPICIVS GALBA consulatu functus A.V. 774. modicae in dicendo facultatis, causas industriè actitauit. Vxores eius fuere duae: MVMIA Achaica, neptis Catuli; L. Mumii, qui Corinthum excîdit, proneptis: & LIVIA Ocellina, mulier diues & formosa, at sterilis.

C. SVLPICIVS GALBA attritis facultatibus Vrbe cessit: prohibitúsque à Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit.

SER. SVLPICIVS GALBA PROCOS. Hispaniae Tarraconensem prouinciam octo annis rexit. Accersitus auctoritate Iulii Vindicis, Galliarum praesidis, iam grandis natu: Imperium paulò antè Neronis interitum adeptus: maiore hominum ab initio fauore, quàm laeto successu tenuit. Fuit Orator, iustitiaeq; & aequitatis amans, sed auaritia & saeuitia iuxtà infamis. Vnde inuisus cunctis, quum Pisonem Frugi Licinianum, nobilem egregiúmq; iuuenum, in conflatae inuidiae remedium adoptasset: in foro Romano ab Othone Saluio est iugulatus XIIX. Kal. Febr. A.C. 70. septuagenario maior anno vnico, cum XXII. diebus. Sepultus via Aurelia in hortis suis priuatus. Vxor ÆMILIA LEPIDA.

SER. SVLPICIVS GALBA   C. SVLPICIVS GALBA.
Ante patris Imperium diem obiere.



VI.

M. SALVII OTHONIS.

M. SALVIVS OTHO Eques Romanus, oppido Ferentino ortus, familia vetere & honorata, ex principibus nimirum Hetruriae: fauore Liuiae Augustae, in cuius domo creuerat, senator factus: praeturae gradum non excessit. Vxorem habuit genere quidem praeclaro, multarúmque & magnarum propinquitatum: sed cuius nomen literarum monumentis non est proditum.

L. SALVIVS OTHO vrbanos honores, Africae proconsulatum, & extraordinaria imperia seuerissimè administrauit. A Claudio Caesare inter patricios allectus: statuáq; ipsi in palatio posita. Vxor ALBIA TERENTIA, foemina splendidissima.

M. SALVIVS OTHO Imp. homo ambitiosus & Neroni haud multum absimilis: quippe qui Imperium à seditione & suppliciis auspicatus; eundem vitae exitum habuit. Cũ Vitellio siquidem ad Bebriacũ cõgressus: impar in certamine, papillam pugione sibi transfixit XIII. Kal. Maii A.C. 70. adeo militibus carus, vt multi manus & pedes eius deosculati sint: nec pauci ante mortui pedes ad eius exemplum semet confoderint. Vixit annos XXXVII. demtis octo diebus. Funeratus apud Veliternam XCV. Imperii die. Vxor POPPÆA Sabina ab ipso repudiata, Domitio Neroni nupsit: à quo est occisa.

L. SALVIVS TITIANVS.

L. SALVIVS COCCEIVS, à patruo morituro bono animo esse iussus, nec formidare Vitellium: item ne prorsus obliuiscatur, neq; nimium meminerit, patruũ Caesarem habuisse: à Domitiano, quòd patrui sui natalem celebrasset, est interfectus.

SALVIA nondũ nubilis Druso Germanici F. desponsata.

A. VITEL-

VII.

A. VITELLII.

P. VITELLIVS domo Nuceria, Eques Romanus, & rerum Augusti procurator: natus iuxta quorundam sententiam patre Q. VITELLIO Quæstore Cæsaris Augusti.

A. VITELLIVS in consulatu obiit A.V.784. vir prælaut' alioqui, famosúsque cœnarũ magnificentia.

P. VITELLIVS Germanici comes, Cn. Pisonem inimicum & interfectorem eius accusauit & condemnauit. Post Præturæ honorem inter Seiani conscios arreptus, & in custodiam fratri datus: scalpro librario venas sibi incidit: nec tam mortis pœnitentia, quàm suorum obtestatione obligari curariq; se passus, in eadem custodia morbo periit.

L. VITELLIVS ex cõsulatu Syriæ Prępositus, Artabanũ Parthorũ regem summis artibus non modò ad suum colloquium, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit. Mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios consulatus censurámq; gessit. Curam quoque Imperii sustinuit, absente ipso expeditione Britannica. Vir industrius, sed amore libertinæ perinfamis, mirique in adulando ingenii: quippe qui Caligulam Cæsarem primus adorari ceu deum instituit. Decessit paralysi: publico funere à Senatu honoratus; item statua pro Rostris, cum hac inscriptione, PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. Vxor SEXTILIA, Casleii Seueri, sutoris veteramentarii F.

Q. VITELLIVS vir senatorius.

A. VITELLIVS Imp. Rom. vir enormi proceritate, nefarius & sanguinolentus, gulæ luxuriæque deditus: Vespasiano principe declarato, ab omnibus desertus, Romæ in cellulam ianitoris confugit in palatio: vnde à tribuno quodam Vespasiani extractus: religatísq; post terga manibus, & laqueo ceruicibus iniecto, nudus ad Gemonias ductus scalas: ibi excarnificatus, numerosísq; ictibus confossus: tandem in Tiberim proiectus est V. Non. Octobris A.C.70. Imperii mense nono, ætatis suæ anno LIV. quem nouem diebus excessit. Vxores eius duæ: PETRONIA viri consularis filia, & GALERIA FVNDANA patre prætorio nata.

P. VITELLIVS Cos. A. V. 801. periit vna cum fratre Imperatore.

A. VITELLIVS PETRONIVS altero captus oculo, ab ipsomet genitore parricidii insimulatus & necatus.

L. VITELLIVS ex posteriori connubio susceptus, titubantia oris propè mutus & elinguis: vna cum patre occisus A.C.70.

IIX.

VESPASIANORVM.

T. Flauius Petronius.

T. Flauius Sabinus.

- T. Flauius Sabinus.
  - T. Flauius Clemens.
    - Fl. Aurelianus.
    - Fl. Luxurius.
  - T. Flauius Sabinus.
- Fl. Vespasianus Imp.
  - Titus Vespasianus Imp.
    - Iulia.
  - Domitianus Imp.
  - Flauia Domitilla.
    - Domitilla martyr.
- Flauia.

Familiæ ἐκφϱασις.

T. Flavius Petronius municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarum partium centurio: ex acie Pharsalica profugiens, domum inglorius repedauit: vbi venia impetrata, coactiones argentarias factitauit. Vxor Tertvlla filium ipsi enixa est

T. Flavium Sabinum, qui militiæ expers, publicanum quadragesimæ in Asia egit: fœnus postea apud Heluetios exercens, diem isthic supremum clausit: ex vxore Vespasia Polla, Nursiæ nata patre Vespasio Pollione, ter tribuno militum, præfectoq́; castrorum, tribus genitus filiis: quorum

T. Flavius Sabinus vrbis Romæ præfectus, à Vitellio Imp. in Capitolium compulsus, & in eo cum sociis est crematus. Genitor

T. Flavii Sabini viri consularis, à patruele Domitiano Imp. occisi: propterea quòd ipsum, comitiorum consularium die destinatum, præco perperam non consulem, sed imperatorem, ad populum pronunciasset, A.C.83.

T. Flavii Clementis, hominis contemtissimæ inertiæ, à Domitiano patruele ex tenuissima suspicione similiter interempti A.C.96. duobus superstitibus filiis:

Flavio Avreliano, quem priori nomine abolito Domitianus Vespasianum appellari iusserat: & vna cum fratre successorem palam destinarat. Huius connubium repudiauit Domitilla virgo Christiana.

Fl. Lvxvrio, qui à Domitiano adoptatus; & suo abolito, Domitiani nomen ferre iussus: post[illegible]dò de Domitilla supplicium sumsit.

Flavia infans est extincta.

Fl. Vespasianvs Imp. natus in Samniis vltra Reatem, vico paruo, cui nomen Phalacrine, xv. Kal. Decembris A. C. 10. Claudio principe, legatus legionis in Germaniam missus: inde in Britanniã translatus, tricies cum hoste conflixit: vbi duas validissimas gentes superq; viginta oppida, & insulam Vecten Britanniæ vicinam in ditionem pop. Rom. redegit. Africã exinde sortitus, integerrimè eam gubernauit. In Syria res gnauiter administrauit: copias & legiones auxit: ciuitates in se conuertit: Hierosolymam euertit: de Iudæis, quorum vndecim centena millia ferro & fame perierant, centum millia capta & venundata erant, magnificum & gloriosum egit triumphum: Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate adempta; item Thraciam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ vsq; ad id tempus; in prouinciarũ formam redegit. Domi Pacis templum foro proximo, & Claudii in monte Cœlio extruxit: Capitolium restaurauit: Rempub. ipsam, disciplinam, & reliqua iura, deterrimis Caligulæ, Neronis, & aliorum antecessorum flagitiis penè subuersa, virtute & vigilantia restituit. Quamuis autem auaritia in eo notata est: ingenia tamen & artes maximè fouit. Primus enim è fisco Latinis & Græcis oratoribus salaria annua constituit: & præstantes poëtas atque artifices coluit. Ad extremum quum intestina creberrimo frigidæ aquæ vsu corrupisset: in agro Reatino ventris profluuio extinctus est IIX. Kal. Quinctilis A.C.80. postquam vltra annos LXIX. vixisset menses septem, totidemque dies: & Imperium demptis diebus septem tenuisset decennium. Vxorem Fl. Domitillam Flauii Liberalis Ferentini F. amisit priuatus: post cuius excessum Cenidem Antoniæ libertam, quondam sibi dilectam, reuocauit in contubernium, habuitque iustæ vxoris loco. Ex Domitilla autem tres ipsi nati liberi:

Titvs Vespasianvs Romæ natus prope Septizonium, anno Caiana cæde insigni: Imperium à patre per manus accepit. Princeps laudatissimus: in pace eloquentissimus: in bello fortissimus: ac propter iustitiam & beneficentiam Amor & Deliciæ humani generis cognominatus: adeóque liberalis, vt nulli quidquam negaret. Vox eius aliquando memorabilis audita. Recordatus enim super cœna, quòd nemini eo die officium contulisset: Amici (*inquit*) diem perdidi. *Iudæorum gentem domuit: Hierosolymam deleuit. Febre tandem correptus, in agro Sabino ingenti omnium luctu decessit Idib. Septemb. A. C. 82. ætatis suæ XLI. completo, cum mensibus octo, & diebus quindecim: postquam à patris obitu rem Romanã administrauit biennium, menses totidem, dies viginti. Duas vxores habuit: Arricidiam natam patre Tertullo equite Romano & præfecto prætorio: & Marciam Fvrnillam, cum qua post diuortium fecit, vnica ex ipsa suscepta filia,*

Ivlia Sabino nupta, pòst verò patrui Domitiani concubina: à quo fœtum, à marito iam mortuo susceptum, medicamentis abigere persuasa; ipsa quoque exanimata, diem clausit.

Domitianvs Imp. Neroni aut Caligulæ similior, quàm patri Vespasiano, aut fratri Tito: impius, crudelis, suspicax, libidinosus, obscœnus, rapax, & Christianorum persecutor acerrimus: quique præter alia innumera flagitia, eò etiam dementiæ deuenit: vt se Dominum ac Deum vocari, scribi, coliq́; iusserit. Quare nihil ipsi pater fraterque, nihil de Cattis & Germanis (si qua modò fuit) victoria, nihil bibliothecarum incensarum restitu-

tio

tio profuit: quin cæde illustrium virorum exosus omnibus factus, suorum demum conspiratione, septem vulneribus confossus occubuerit XIV. Kal. Octobris A. C. 97. Vixit annis XLV. vigintiquatuor demtis diebus: imperauit verò vltra annos quindecim, dies quinq; Cadauer eius Phyllis nutrix furata, sepeliuit via Latina in suo suburbano: reliquias verò templo gentis Flauiæ clam intulit; cineribusq; Iuliæ filiæ Titi huius concubinæ commiscuit. Fuit in eius connubio DOMITIA LONGINA, *Domitii Corbulonis F. prius L. Aelio Lamia Aemiliano nupta: quam amore eius captus ipse abduxit: maritumq; occidi iussit.* DOMITILLA *patre adhuc ciue priuato diem obiit. Ad cuius memoriam perpetuam institutum a Tito, vt carpentum à mulis Circensibus traheretur. Mater creditur esse*

DOMITILLÆ à Nereo & Achilleo eunuchis, D. Petri Apostoli discipulis, ad fidem Christianam perductæ: & à Clemente presbytero sacris vndis lustratæ. Hæc quum Aureliano Flauio, suo agnato, nubere nollet: putans sibi Christianæ cum viro gentili non benè conuenturum: in Pontum insulam deportata, longum ibi martyrium duxit: & tandem à Luxurio, Aureliani fratre, quum idolis sacrificare nollet, vnà cum suis famulis Tarracinæ in cubiculo est cremata, Traiano ad clauum sedente.

IX.

NERVÆ.

M. COCCEIVS NERVA M. F. Vxor POPILLIA PLAVTILLA, Popillii Lænatis F.

NERVA COCCEIVS post cædem Domitiani imperium suscipiens: laudabiliter id administrauit annum vnum, menses quatuor, dies nouem. Princeps iustus ac beneficus; iniustè à Domitiano damnatos, exulésque restituit: sæuitiam, quæ in Christianos exercebatur, coercuit: sycophantas aliquot, & inter hos Suram philosophum, occidi iussit: sumptuosa spectacula sustulit. Sub huius imperio Romana res ad prosperrimum rediit statum. Quum autem propter senectutem contemtui esset, Capitolium conscendens, M. Vlpium Traianum, natione Hispanum, adoptauit, sibiq; successorem in senatu designauit. Omnibus tandem rebus benè constitutis, febre correptus, decessit VI. Kal. Februarii A. C. 99. ætatis suæ LXV. quem mensibus decem, diebus totidem superauit.

X.

TRAIANI.

VLPIVS TRAIANVS genere Hispanus.

M. TRAIAVS — VLPIA vxor P. Ælii, auia Hadriani Imp.

MARCIANA — MATIDIA. SABINA vxor Hadriani Imp. veneno periit

VLP. TRAIANVS natus Tuderti in Vmbria, à Nerua adoptatus, & Cæsar dictus: tertiam in Christianos persecutionem concessit, quæ tamen Plinii Secundi beneficio nonnihil cessauit. Princeps alioquin sapiens & iustus; ingeniorum & eruditorum hominum admirator singularis, iuris humani diuiniq; consultissimus. Neruæ acta confirmauit, reductis exulibus iniustè condemnatis, Romæ leges & iudicia restituit, ius frequẽter ipse dixit. In bellis quoque consilio & fortitudine excelluit, quippe qui Decebalo Dacorum rege victo, Daciam prouinciam fecit, Parthis debellatis regem dedit, Arabiam & Armeniam longe latéque peruastauit, Babylonem & Messanam expugnauit. A bello Parthico reuersus, ex ira in febrim incidens, Selinunte in Cilicia, quæ postmodùm Traianopolis appellata est, ventris

profluuio periit III. Id. Sextiles A.C. 118. Cineres & ossa Romam relata, cochlide columna superposita cum eius imagine, quæ superstaret foro à se extructo. Vita ipsi annorum LXIII. mensium nouem: dierum quatuor: imperium annorum sesquiviginti, dierum quindecim. Vxor eius PLOTINA, summa honestate (vt habet inscriptio epitaphii ad Aquas Sextias) & integritate fulgens: sterilitatis defectu sine prole fecit coniugem, qui eius opera Hadrianum adoptatum in Imperio successorem habuit: à quo in beneficii memoriam Nemausi æde sacra, maximo sumptu sublimiq; structura ac hymnorum cantu decorata, post mortē donata est.



XI.

HADRIANI.

ÆLIVS MARILLINVS, primus in hac familia Senator populi Romani.

|

P. ÆLIVS. Vxor VLPIA Traiani Imp. amita

|

P. ÆLIVS HADRIANVS cogn. Afer, vir senatorius. vxor DOMITIA PAVLINA, Gadibus orta.

P. ÆLIVS HADRIANVS stirpis Italicæ, Plotina fauente ad Imperium euectus, annos id viginti vnum, vnico excepto mense tenuit. Princeps vtraque lingua eruditissimus: Geometriæ & Astronomiæ peritissimus: disciplinæ militaris scientissimus: peregrinationis adeò studiosus, vt omnes fermè prouincias pedibus etiā peragrans obierit. Bellum nullum mouit: sed mota composuit. Christianis sub Imperii limē extremè aduersatus & ipse est: postea tamē eius religionis honestate & pietate cognita, in eos mirificè fuit beneficus. Iudæos vbique gentium tumultuantes, & multa damna Romanis inferentes, in Syria ita oppressit fregitq;: vt respirare amplius nō potuerint. Baiis in Campania morbo intercutaneo periit VI. Id. Quinctil. A. C. 138. sexagenario maior annis duobus, mensibus quinque, diebus sedecim. Funeratus primùm Puteolis in villa Ciceroniana: cineres dein Romam translati, & in mole sua super Tiberim in hortis Domitiæ (hodie est Arx Sancti Angeli) depositi. Vxor SABINA, Traiani Imp. è sorore neptis: quòd familiariùs, quàm reuerētia domus aulicæ postulabat, cum Septitio Claro præfecto prętorio, & Suetonio Trāquillo epistolarum magistro, egerat: seruilibus penè iniuriis affecta, ad voluntariam mortem compulsa est: nec sine suspicione veneni ab Hadriano sibi subministrati.

PAVLINA vxor Seruiani Cos. quem Hadrianus Imp. nonagesimū iam ætatis annum agentem, ne sibi superuiueret, mori coëgit.



XII.

T. ANTONINI PII.

T. AVRELIVS FVLVIVS è Gallia Transalpina, Nemausense scilicet, oriundus: per honores diuersos ad secundum consulatum & præfecturam Vrbis peruenit.

|

T. AVR. FVLVIVS, homo tristis & æger, ipse quoque consulatum egit. Vxor ARRIA FADILLA, nata patre Arrio Antonino bis Cos. matre Bouinia Procilla: secundis nuptiis iuncta est Iulio Lupo viro consulari.

|

T. AVR.

T. Avr. Fuluius Boionius Antoninvs Pivs, vir religione, pietate, iustitia cũ Numa comparandus: adoptatus ab Hadriano Imp. tanta modestia imperauit, vt merito Pii cognomen sit adeptus, & Pater patriæ appellatus. Nemini bellum intulit: inferentes tamen repressit. Dicere enim solebat, Malle se vnum seruare ciuem, quàm mille hostes occidere. Febre correptus, decessit apud Lorios villa propria Non. Martii A. C. 162. Sepultus Romæ in mole Hadriani. Vita illi annorum LXXIV. mensium quinque, dierum XVII. cum potestate verò fuit annis XXIII. mensibus septem, diebus XXVI. vxor Favstina, Annii Veri F. amita M. Antonini Imp. defuncta A. C. 141. a Senatu est consecrata, delatis Circensibus & templo, flaminicis item ac statuis aureis atque argenteis.

T. Avr. Antoninvs. T. Avr. Fvlvivs. Ante patris Imperium diem obiere.

Favstina Maior, vxor Lamiæ Syllani, mortua patre ad procõsulatum proficiscente.

Favstina Minor, consors M. Antonini Philosophi Imp. cuius ipse vitia ita tulit, vt nec curiosius ea inuestigaret, nec puniret.



XIII.

M. ANTONINI PHILOSOPHI.

Annivs Vervs Prætorius ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator.

M. Annivs Vervs à Principibus Vespasiano & Tito censoribus in patricios adscitus: bis Consulem & præfectum Vrbi egit. Vxor Rvpilia Favstina, Rupilii Boni consularis F.

Annivs Libo Cos. Rom. A. C. 129.

Annivs Vervs in prætura decessit Vxor Domitia Calvilla Caluisii Tulli bis consulis F.

Favstina vxor T. Aur. Antonini Pii Imp. mortua A. C. 141.

M. Avr. Antoninvs cogn. Philosophus, ab Hadriano Annius Verus appellatus: dein ab Antonino Pio adoptatus, ætatis suæ anno duodevigesimo, pro Annio Aureli' cœpit vocitari. Post Pii excessum regimen publicum capiens: mox suum propinquum L. Aur. Verum ad Imperii partem nouo beneuolentiæ genere adsciuit: cum eóque in nonum vsque annum æquo iure imperauit. Verè fuit vir bonus, & æquabilis in omni vita: nec vlla vnquam in re immutatus est: frugi fuit sine contumacia: verecundus sine ignauia: grauis sine tristitia: nihil in ipso fictum aut simulatum. Bellum felliciter gessit cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis. Fuit cum imperio annos vndeviginti, dies vndecim: Sirmii in Pannoniis vita excessit XVI. Kal. Aprilis A. C. 181. sexagenario minor diebus XL. magnum hominibus sui relinquẽs desiderium. Duas vxores habuit: quarum Ceioniam L. Veri Cæsaris sororem, repudiauit: ex Favstina verò T. Antonini Pii filia, in radicibus montis Tauri, in vico Halale subito exanimata, sex liberos sustulit.

Annia Cornificia vxor T. Numidii Quadrati viri consularis, mater Mummii Quadrati à Cõmodo Cæsare necati.

L. Vervs Cæsar, exsecto sub aure tubere, Præneste septennis obiit.


M. Antoninvs, quadrimus mortuus.

L. Avr. Commodvs patris optimi in Imperio successor, omnibus fuit incommodus libidine, auaritia, crudelitate Caligulæ &

Filiæ tres. Fadilla à Caracallo interfecta. Favstina. Lvcilla primùm

Neroni si non anteferendus, tamen æquiparandus. Quippe qui scurram & gladiatorem magis, quam Imperatorem egit: sæuiit in Senatum & matrem Faustinam, quam & in exilium pepulit: multos clarissimos viros, nec non germanam Lucillam occidit: matronas & meretrices sine delectu constuprauit: immò qui tāta omnium execratione imperauit, vt etiam mortuus humani generis hostis iudicatus fuerit. Propter feras occisas & elephātum conto transfixum, Hercules Romanus dici voluit: cum barbaris bella gessit auxilio Albini & Nigri: contra Britānos Vlpium Marcellum misit. Tandem quum plurimorum nomina consignasset, quos ea nocte fuerat interfecturus: venenum hausit à Martia concubina dilectissima propinatum: quod quum parum esset efficax, eiusdem rogatu à Narcisso quodam athleta in domo Vestalium strangulatus periit prid. Kal. Ianuarii A. C. 193. quum vixisset annos XXXI. menses quatuor: ad clauum sedisset annos duodecim menses nouem, dies XIV. Corpus eius vt vnco tractum in Tiberim mitteretur, senatus & populus postulabat: sed iussu Pertinacis in molem Hadriani est translatum. Vxor CRISPINA Burrhi siue Prutii Præsentis COS. F. à marito adulterii insimulata; ac proinde primùm Capreas relegata, pòst necata est.

L. Vero, pòst M. Aurelio Claudio Pōpeiano in matrimoniū collocata; à fratre Commodo compressa, nec multo pòst occisa est.



XIV.


L. VERI.

L. CEIONIVS COMMODVS VERVS, vir Consularis A. C. 107. paternam ex Hetruria, maternam ex Fauentia ducens originem.

L. ÆLIVS VERVS, vir spei eximiæ & literatus: ab Hadriano adoptatus, primus Cæsar est dictus: sed non diu superstes, quinto ab hinc mense siue veneno, siue magna sanguinis effusione expirauit Kal. Ianuarii A. C. 137. Sepultus imperatorio funere in mole Hadriani: neq; enim quidquam, nisi mortem, de regia habuit dignitate. De eo Hadrianus Imp. sæpe dixisse fertur: *Ostendent terris hunc tantùm fata, nec vltra Esse sinent*: diuinans quasi, breui ipsum moriturum. Vxor DOMITIA Lucilla, Nigrini viri consularis F.

L. AVR. VERVS homo vitæ prorsus dissolutæ, à Marco ad Imperium adscitus: cum ipso, à Parthico bello reuersus, triumphauit: & Armeniaci Parthici Maximi cognomen meruit. Cum eodem postea aduersus Germanos profecturus: inter Altinum & Concordiam subitò apoplexia correptus; post triduum expirauit A.C. 170. Sepultus Romæ in mole Hadriani. Vxor LVCILLA M. Antonini Philosophi F. matre nihilo melior, fratre Commodo nihilo fuit continentior. Marito defuncto, luctus tempore nondum expleto nupsit M. Aur. Claudio Pompeiano. A fratre tandem Commodo est occisa: filius verò eius Lætus Pompeianus à Caracalla.

CEIONIA M. Antonino Philosopho Cæsari ex Hadriani voluntate desponsata; sed mox ab eo est repudiata.




XV.

HELVII PERTINACIS.

HELVIVS SVCCESSVS genere Italus, libertinus, filio nomē ex cōtinatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eā rem gereret, imposuisse fertur.

PVB. HELVIVS PERTINAX Imp. natus apud Ligures in Apennino in villa Martis Kal. Augusti A. C. 127. per laboris genera ad vniuersa officia assumptus: non immeritò fortunæ vocari potest pila. Primùm namque fuit Professor Grammatices: postea miles factus, virtute creuit. rexit inde Rhætiã, Noricum, Mysiam, & Daciam: tandem domi militiæque rebus gestis clarus, multísque insignis trophæis, ex Præfecto Vrbis ad Imperium euectus est senex. Vir blandus magis, quàm beneficus: vnde à Græcis χρηστόλογος est dictus. Is dum omnia emendare conatur: & militum prætorianorum infinitam licentiam coërcet: militari factione, & Iuliani scelere in Palatio confoditur v. Kal. Aprilis A. C. 194. die suscepti Imperii x I I I C. annos natus LXVI. mẽses octo, quatuor demptis diebus. In sepulcro Sulpicii Flauii Præfecti Vrbis, patris TITIANÆ suæ vxoris, humatus. Eam Augustam fieri noluit: quòd petulantẽ fœminã eiusmodi nomen polluere iudicaret.

P. HELVIVS PERTINAX Cæsar à Senatu appellatus, patre omnino contradicente. Ab Antonino Caracalla, quod Imperatoris esset filius, interfectus.



XVI.

DIDII IVLIANI.

M. SALVIVS IVLIANVS bis Consul, Præfectus Vrbi, & Iureconsultus: sepultus via Lauicana.

M. SALVIVS IVLIANVS ex Adrumentina colonia.

PETRONIVS DIDIVS Insubris Mediolanensis.

PETRONIVS DIDIVS SEVERVS — ÆMILIA CLARA.


M. SALVIVS IVLIANVS à Septimio Imp. occisus.

M. DIDIVS IVLIANVS Mediolani natus VII. Kal. Iunii A. C. 134. ex prætura in Germaniam missus: Belgium & Dalmatiam, inde etiam Bithyniam rexit: Cattos debellauit. Occiso dein Pertinace, impudẽter Imperium à militibus licitatus, & sestertiis xxv. mercatus: illud intra LXV. diem vnà cum vita amisit. Quum enim militibus pecuniam eam non solueret: totúsque insuper in obscœnis voluptatibus, & ærario expilando esset occupatus: Senatus auctoritate imperium ipsi abrogatum; & à Septimio in abditas Palatii balneas est ductus: ibique extenta damnatorum instar ceruice, decollatus IV. Non. Iunii A. C. 194. ætatis sexagesimo completo, cum mensibus quatuor, totidémque diebus. Caput pro Rostris est positum: truncus vxori redditus, & in proaui monumento translatus milliario quinto, via Lauicana. Fuit autem ea MANLIA SCANTILLA, à Senatu postea Augusta appellata.

DIDIVS PROCVLVS.

NVMMIVS ALBINVS, à Septimio Imp. è medio sublat᷑.

DIDIA CLARA suæ ætatis puellarum formosissima, cum matre, quæ admodum deformis erat, Augusta appellata: à militibus, à quibus pater Imperium erat mercatus, Cornelio Repentino, Vrbis præfecto, in vxorem tradita. Post patris interitum Augustæ nomen ipsi est abrogatum: sed concessum patrimionum.



XVII. XIIX.

SEPTIMII & ALEXANDRI SEVERORVM.



Familiæ ἐκφρασις.

1. M. SEPTIMIVS MACER Eques Romanus, trium fuit filiorum pater,

M. AVR. SEVERI, *qui Consulem egit Romæ A. C. 171*

M. AGRIPPÆ *viri consularis:*

M. SEPTIMII GETÆ *Equitis Romani: qui ex vxore* FVLVIA PIA, *Fuluii Pii filia, genuit*

M. GETAM Equitem Romanum, cætera obscurum.

L. SEPTIMIVM SEVERVM, natum Lepti in Africa VI. Id. Aprilis A. C. 146. & apud Carnutum in Pannonia Imp. salutatum Idib. Martii A. C. 194. Vir fuit hic vehemens ac ferox, omniumque, qui ante ipsum fuere, bellicosissimus: promptus excogitandis, acer exequendis rebus. Vnde vulgo de ipso iactatum fuit: illum aut nasci non debuisse, aut non mori: quòd & nimis crudelis, & nimis vtilis Reipub. videretur. Cæterum literarum fuit non ignarus, matheseos peritus, à Latinis non abhorrens, Punica tamen eloquentia promptior. Ob industriam primùm Quæstor in Bætica factus: postea legatus Lugdunensem prouinciam, mox Germaniam & Pannoniam proconsulari rexit imperio. Iuliano interfecto, Romam armatus mirifico apparatu ingressus: milites, qui Pertinacem interemerant, exauctoratos ex Imperio expulit: Lætum Præfectum prætorio, cædis Commodi & Pertinacis auctorem morte mulctauit: iudicia restituit. Pescennium Nigrum in oriente tribus magnis prœliis, nempe ad Cyzicum, ad Nicæam, ad Issum in Cilicia victum interemit: Clodium item Albinum, quem Cæsarem antè dixerat, in Galliis ad Lugdunum: Byzantium triēnio obsessum vastauit: Nisibin occupauit: Iudæis, Parthis, Arabibus, Adiabenis deuictis, Orientem denuo subiugauit: quintam à Nerone in Christianos persecutionem exercuit: Britannos tumultuantes compescuit: apud quos dum membrorum omnium, pedum maximè dolorem pati nequiret; loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidiùs deuorauit: quem vbi concoquere non posset; cruditatem passus, expirauit Eboraci prid. Non. Februarii A. C. 212. sexagenario maior annis quinque, demptis diebus XLIV. postquam rē Romanā rexisset annos XVII. menses octo, dies tres. Ossa eius in vrna Romam delata, & in Antoniano reposita. MARCIA vxore sterili amissa, duxit IVLIAM Syram, fœminam pulcerrimam & nobili genere natam, at adulteriis famosam: ex qua genuit

P. SEPTIMIVM GETAM Cæsarem, adolescentem moderatum & lenem, moribus tamen aliquantò asperioribus, literis & honestis studiis deditum, & in palæstra quoque exercitatum: matri apprimè carum, fratri tamen semper inuisum: à quo veneno primùm petitus; eoq́, non procedente, immissis percussoribus in matris sinu occisus est Romæ in Palatio V. kal. Martii A. C. 212. ætatis suæ XXIII. Mortuus maiorum sepulcro in via Appia est illatus.

SEPTIMIAM *Maiorem, nuptam Prolio præfecto Vrbi.*

SEPTIMIAM *Minorem consortem Ætij.*

M. AVR. ANTONINVM CARACALLAM, ex aui materni nomine BASSIA-

Bassianum quoque dictum, natum (vt quibusdam placet, matre Martia siue Leptide) Lugduni VI. *Id. Aprilis A.C.* 189. *Hic Imperio suscepto, nullum facinoris genus prætermisit: crudelissimus, incestuosus, superbus, arrogans. Quippe qui fratrem Imperii consortē in matris gremio nefariè trucidauit: nec ita multo pòst Papinianum Iurecōsultum præstātissimum, cædem istam defendere recusantem, cum plurimis aliis viris præstātibus ac senatoribus, securi percussit: qui item vxore* PLAVTILLA, *Plautiani F. primùm in Siciliam relegata, pòst occisa, matrem incestis sibi nuptiis iunxit: & Alexandriam, ciuibus penè omnibus sublatis, miserè deprædauit. Quorum tamen scelerum mox dignas pœnas luit. Etenim Parthis iterum bellum illaturus: medio itinere inter Carras & Edessam, quum de equo ventris causa descendisset: per Martialem centurionem pugione traiectus periit die natali suo* VI. *Id. Aprilis A.C.* 218. *vita vndetrigesimo, Imperii sexto. Corpus Romam relatum, & in mole Hadriani funeratum. Ex* IVLIA *Soamiade concubina filium reliquit.*

M. ANTONINVM Varium ELAGABALVM, à sacerdotio dei Elagabali, cui templum Romæ posuit, sic dictum. Macrino interfecto, Imperium hic nactus, ingens initio sui omnibus desiderium fecit: verùm omnes opinio de ipso concepta fefellit. Etenim à primis incunabulis in summo enutritus luxu: mancipium euaserat omnis libidinis atque turpitudinis. Cupiditatem stupri, quam naturæ defectu assequi nondum quibat, in se conuertens: muliebri nomine Bassianam se iussit appellari. Vestalem virginem quasi matrimonio iungens suo, abscissisque genitalibus, matri se magnæ sacrauit. Ad honores euexit flagitiorum suorum magistros ac ministros: viris interim præstantibus loco suo detrusis vel necatis. Quid multa? nullus principum contaminatius aut impurius vixit: nullus maiore luxu opes prodegit Imperii: omnium religionum contemptor, præter patrii numinis Elagabali. Omnibus tandem ob impudicissimam & crudelem vitam redditus exosus: Romæ militari tumultu trucidatus est vna cum matre, muliere flagitiosissima & tali filio digna, VI. Id. Martii A. C. 225. ætatis suæ duodeuigesimo: quum ad clauum annos sedisset tres, mēses nouem, dies tres. Capita vtriusque abscissa; & cadauera denudata, per totam vrbem raptata ac dilaniata; matris demum in cloacam, huius in Tiberim annexo pondere, ne fluitaret, præcipitata sunt. Ex vxoribus eius nomine exprimuntur IVLIA CORNELIA PAVLA, & IVLIA AQVILIA SEVERA, vtraque repudiata.

2. SYRI cuiusdam ἀνώνυμ, nobili tamen genere prognati, filiæ duæ,

IVLIA Felix, fœmina facie pulcerrima, at adulteriis inquinata, nupta Septimio Seuero Imperatori: & ipso defuncto, filio Bassiano: ob liberorum tandem calamitates Antiochiæ sibi mortem consciuit.

IVLIA MÆSA siue VARIA, ex Emesa Phœniciæ vrbe oriunda, viuente sorore, multos annos in aula Imperatoris vixit. Post mortem inde Bassiani, à Macrino expulsa: Elagabalum nepotem muliebri astu ad Imperium promouit: militibus largitiones profusas promittens. Filiæ eius:

IVLIA SOÆMIAS siue Semiamira, pellex Bassiani Caracallæ, cum Elagabalo filio Senatum ingressa, consulum subsellia occupauit: totumque ferè imperium gubernauit. Mulier probrosissima, filioque digna, quî cum interficeretur, & insepulta abiiceretur.

IVLIA MAMÆA vxor Varii Martiani Syri, fœmina sancta, bonisque moribus prædita: ab Origene in Christianæ religionis doctrina optimè instituta: cum filio periit. Sepulta in Volania alias Ficelia. His nati

ALEXANDER SEVERVS Elagabali consobrinus, & successor in Imperio: princeps landatissimus & Reipub. vtilissimus: vnicum virtutis exemplar. Christianos fouit: literatos, ipse quoque literatus, amauit: leges multas sanxit: constitutionem tamen nullam sacrauit sine viginti Iurisperitis & viris sapientissimis, quorum princeps fuit Vlpianus: Thurinum Verconium notarium, falsa in consilio Imperatorio referentem, incisis digitorum neruis, deportauit: in Mesopotamia, in Mauritania, in Illyrico, in Armenia, res maximas gessit. Bello tandem Germanico in Galliis à suis militibus, quòd seuerior esset, obtruncatus est vna cum matre Mamæa, à cuius consiliis totus pendebat, XV. *Kal. Aprilis A.C.* 236. *quum sine subditorum querela annis imperasset tredecim, diebus octo: vixisset annos sesquitriginta, tredecim demptis diebus. Ipsi S.P.Q.R. cenotaphiū in Gallia, Romæ amplissimum sepulcrum statuit. Vxores ordine habuit duas: quarum* MARCIAM *socero Marciano, à quo insidiis petebatur, perempto, abiecit: ex altera autem* MEMMIA *Sulpitii consularis filia nepte Catuli, genuit filium infantem morte abreptum.*

THEOCLIA despensata est Maximo, Maximini Imp. F.



XIX.

OPELII MACRINI.

M. Opelivs Macrinvs, natione Maurus, obſcuro genere ſordidóq; loco natus: fœdo carnificique fuit ingenio, ore animóque impudente. Poſt Baſſiani necem ab exercitu Imp. creatus: nunc Seuerum, nunc Antoninum ſe vocitauit. Ad Parthicum bellum profectus: ab Artabano rege pacem ingenti pecunia emit. Ob aſperitatem demum & tenacitatem à ſuis deſertus: & in Archelaide ab Eutychiano Comazone, Elagabali præfecto, acri prælio victus & obtruncatus eſt VII. Id. Iunii A.C. 219. ætatis ſuæ LIV. quum XIV. duntaxat menſibus Imperium tenuiſſet. Vxor Nvmia Celsa.

M. Opelivs Diadvmenvs natus XIII. Kal. Octobris A.C. 203. à patre in Imperii cõſortium adſcitus, & propter milites Antoninus dictus: in Syria tumultu militari periit cum patre, ætatis ſuæ anno XVI.




XX.

MAXIMINI.

Micea ignobilis Gothus. Vxor Ababa Alana.

C. Ivlivs Maximinvs Thrax, in prima pueritia opilio: deinde occiſo per fraudem Alexãdro Seuero, ex corpore militari, neglecta omni Senatus auctoritate, Imp. electus: vir ingentis ſtaturæ, ſummæq; voracitatis, crudelis præterea & Chriſtiani nominis infenſiſſimus: ſextam in Chriſtianos perſecutionem exercuit. E Germania quam fœdè depopulatus erat, Romam reuerſus: & propter barbaricam ſæuitiam, à Senatu hoſtis iudicatus iuxta Aquileiam, quam obſidebat, militum ſeditione diſcerptus eſt vnà cum filio VII. Kal. Februarii A.C. 239. Capita haſtis ſuffixa, & Romam tranſmiſſa: cadauera in profluentem abiecta ſunt. Vixit annos LXV. imperauit triennio, exceptis diebus LIII. Vxor Ivnia Fadilla, à nonnullis Paulina dicta, Antonini Pii proneptis, poſt mariti cædem, nupſit Toxotio Senatori.

C. Ivlivs Vervs Maximvs adoleſcens inſolentiſſimæ ſuperbiæ, inſignis pulcritudinis, vitæ laxioris: annum ætatis agens XIIX. cum patre in tentorio necatus eſt. Deſponſata ipſi fuit Theoclia, Alexandri Seueri Imp. germana.



XXI.

GORDIANORVM.

Metivs Marvllvs ex Gracchorum gente trahens originem, patre auóque Coſſ. genitus, Romæ conſulatum & ipſe geſſit A.C. 185. Vxor Vlpia Gordiana, ex Traiani Imp. proſapia oriunda.

M. Ant. Gordianvs ex conſulatu, quem egerat cum Alexandro, ad proconſulatum Africæ miſſus: octogenarius à Senatu contra Maximinum Auguſtus dictus: filium ὁμώνυμον regni conſortem fecit. Quo in acie aduerſus Maximinum cæſo: ipſe aduentantium periculorum angoribus implicatus,


fune

fune se strāgulauit Carthagine v. Kal. Iulii A.C. 238. Imperii suscepti die XXXVI. Ibidē sepultus. Vxor FABIA ORESTILLA, Annii Seueri F. Antonini proneptis.

M. ANT. GORDIANVS II. vir Consularis, vnà cum patre Augustus appellatus, contra Maximinum & Capelianum Mauritaniæ Præfectum in Africam missus: prope Carthaginem in acie cecidit, annos natus XLVI. A. C. 238. Fertur repræsentasse vultum Pompeii.

METIA FAVSTINA, vxor Iunii Balbi viri cōsularis.

M. ANT. GORDIANVS III. Scipionis Asiatici faciem referens, à Senatu post aui necem Imp. appellatus: bello aduersus Persas qui Antiochiam occupauerant, auxilio soceri sui, Misithei Præfecti prætorio, feliciter confecto: ad triumphum rediens, apud Ctesiphontem insidiis Philippi peremptus est III. Kal. Febr. A. C. 245. ætatis suæ XXI. quem diebus decem excessit: postquam Imperiū tenuit annos quinque, menses septē, dies duodecim. Funeratus ad Circeium castrum in finibus Persidis. Princeps optimus ac nobilissimus, amans iustitiæ, pudicus, & alienus à crudelitate. Vxor FVRIA SABINA TRANQVILLINA, F. Misithei Præfecti prætorio.




XXII.

PHILIPPORVM.

P. IVLIVS PHILIPPVS Arabs, genere ignobili, latronum dux.

M. IVLIVS PHILIPPVS per omnes militiæ gradus ob virtutem euectus: a Gordiano dux & Præfectus prætorio creatus: eo per dolum cæso, Imperium arripuit. Post cuius annum quintum, contra Decium educens exercitum: mēte turbatus, ac veluti furore percitus, Veronæ à militibus est cæsus IV. Kal. Febr. A. C. 250. Sunt qui Christianum eum fuisse opinantur: sed quorum testimonio fidem abrogat tùm hominis perfidia, tùm ludi quoque seculares atque Circenses, quos millesimo ab V. C. anno in suo & filii consulatu celebrauit. Vxor quoque MARCIA OTACILLA SEVERA Christum coluisse, & cum marito atque filio baptismate insignita fertur. Fides penes lectorem esto.

M. IVLIVS PHILIPPVS, ἀγέλαστος dictus, à patre consors Imperii declaratus: Romæ à prætorianis, annum agens duodecimum, est necatus.




XXIII.

DECIORVM.

Q. TRAIANVS DECIVS, nobilissimis parentibus Bubaliæ in Pannonia ortus: vir artibus cunctis, virtutibúsque instructus, domi placidus & clemēs, militiæ promptissimus: vel optimis quibusque Impp. annumerādus, si à Christianorum suppliciis sibi temperasset. Etenim post Philippi cædem sumpto imperio, mox edictum proposuit: quo omnes Christi cultores vbiq; locorum necari iussit: quorum multa millia ipsemet quoque morti dedit. Iustâ itaq; Dei νεμέσει, quum in Mœsia aduersus Gothos audaciùs quàm consultiùs pugnaret; cum toto exercitu ab hostibus cæsus, & in fuga palustri voragine absorptus; debitas tyrānidis suæ pœnas expendit III. Kal. April. A. C. 252. quinquágenarius: quum rē tenuisset Romanam vltra biennium, mēses duos. Vxor C. N. SEIA HERENNIA SALLVSTIA BARBIA ORBIANA.

Q. HERENNIVS ETRVSCVS Messius DECIVS, à patre, cogente Senatu, Cæsar nuncupatus: bello patris Gothico, in primo conflictu est extinctus A. C. 252.


HERENNIA HETRVSCILLA suscepto baptismo CYRILLA nominata; ob Christianismum Romæ iugulata est.



XXIV.

VIBII GALLI

C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS, patricia familia ortus, dux limitis Mœsiæ à Decio constitutus: proditione Imperium arripuit: & pace cum Scythis pacta, tributa eis pependit, non sine maxima Romani nominis ignominia. Filio postmodùm C. VIBIO VOLVSIANO in Imperii consortium assumpto; contra Æmilianum Maurum, in Mœsia ab exercitu Imperatorem salutatum, profectus: in primo congressu à suis desertus, vnà cum filio cæsus est apud Interamnem oppidum A. C. 253. ætatis suæ XLVII. quum regnasset sesquibiennium. Christiani nominis hostis & ipse fuit infensissimus.



XXV.

LICINII VALERIANI.

VALERIVS GALLIENVS nobilis genere, parentibus ortus splendidissimis.

P. LICINIVS VALERIANVS sub Decio factus Censor voluntate Senatus: pòst ab exercitu in Rhætia Imperator: propter iustitiam & fortitudinem Senatui valde carus & acceptus. Initiò mitis fuit erga Christianos: sed breui à mago Ægyptio incitatus, persecutionem mouit; & humanas mactauit victimas. A Sapore tandem Persarum Rege captus: misera apud eum ignobilíque seruitute consenuit. Equum namque conscensurus Rex, eius ceruice incuruata pro scabello vti solitus fuit: & ad extremũ, ipsum LXXVII. ætatis annum agentem, crudelissima morte, cute à ceruicibus ad imos pedes detracta, necauit A.C. 262. Fuit autem cum Imperio annis plus minus septẽ.

P. LICINIVS GALLIENVS patris in Imperio consors: eo à Persis capto, regnum solus retinuit annis octo. Caligulæ ac Vitellii simillimus fuit: quippe qui natus abdomini ac voluptatibus, dies noctésque vino & stupris perdidit orbem terrarum: adeò vt non solùm triginta tyrannos, Imperium Romanum dehonestantes, sit passus: sed & fœminæ in eius contemptum Imperium occuparint. Quinquagenarius demum aduersus Aurelium, Illyricani exercitus ducem, contendens: à militibus suis apud Mediolanum est occisus A. C. 269. Vxor CORNELIA SALONINA PIPARA Regis Marcomannorum filia: quam ita perditè amauit, vt socero per pactionem concederet partem superioris Pannoniæ.

P. LICINIVS VALERIANVS Cæsar, matre Mariniana natus; optimè educatus, & à fratris dissolutione seiunctus: miserum in modum cum ipso circa Mediolanum ad pontem Aureolum peremptus est A.C. 269.

SALONINVS VALERIANVS in iuuenta mortuus.

SALONINVS GALLIENVS sic dictus vel à matre Salonina, vel Salonis solo natali: nobiliter natus, regiè educatus: non sua, sed patris causa, à Gallis necatus est decennis.

CLAV-

XXVI.

CLAVDII.

N. ἀνώνυμος gentis Illyricianæ vir, è Dalmatis vel Dardaniis oriundus.

M. AVR. CLAVDIVS, vir summa integritate, morum grauitate, bellicisque virtutibus: principum omnium decus: quippe in quo Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio lucidissimè emicuere: Galieno perempto, maxima omnium gratulatione Romanas suscepit habenas: Sarmatas, Scythas, Quados, aliósque Imperii hostes subiugauit: Daciam recuperauit: Gothos clade incredibili superauit: leges optimas condidit. Quamobrem in curia aureus ei clypeus, in Capitolio aurea statua à Senatu est decreta. Post bellum Gothicum morbo correptus, Syrmii decessit prid. Kal. Febr. A. C. 271. Imperauit annum duntaxat vnũ, menses decem, totideq; dies.

M. AVR. CRISPVS, nullis rebus gestis nobilitat⁹.

CLAVDIA vxor Eutropii, Dardanæ gentis viri nobilissimi: mater Constantii Chlori Imp.

M. AVR. QVINTILLVS Dux Italici præsidii post mortẽ fratris Claudii ob egregias virtutes Augustus salutatus: septimo decimo Imperii die Aquileiæ à militibus, qui eius gubernationem Aureliano concesserant, occisus est x. Kal. Martii A. C. 271.

QVINTILLVS, CLAVDIVS. patri superstites fuere: cæterùm nulla re clari.

CONSTANTINA vxor tribuni cuiusdam Assyriorũ, in primis annis defecit.

XXVII.

AVRELIANI.

L. DOMITIVS AVRELIANVS Imp. in Pannonia humili ortus genere, matre sacerdote templi Solis: vir ingenio viuacissimo, militari disciplina excellentissimus: Sarmatas, Marcomannos, Gallos, Ægyptios vicit: Cannabam Gothorum ducem captum, cum quinque millibus hominum interemit. Sæuus idem, sanguinarius, & truculentus: nonam in Christianos persecutionem fecit: & sororis filium non magna neque satis iusta de causa neci dedit. Primus ipse Impp. apud Romanos diademate, gemmis, & aurata veste vsus. Nouissimè domesticorum fraude inter Byzantium & Heracleam oppressus est IV. Kal. Febr. A. C. 276. quum annos imperasset quinque, demptis diebus XV. Vxorem habuit SEVERINAM: & filiam, & nepotem Aurelianum.

XXIIX.

TACITI.

N. ciuis Romanus.

M. CLAVDIVS TACITVS, vir grauis singularique eruditione, VII. Kal. Octobris A. C. 276. à Senatu Augustus inauguratus: (tunc enim primum Respubl. velut longo postliminio reducta, suo iure ac

M. ANNIVS FLORIANVS, imperandi cupidus, solo hæreditatis titulo fretus, proprio motu nulla Senatus auctoritate, imperium quasi hæreditarium arripuit. Verùm breui Tarsi à militibus, Im-

iudicio vsa est) ob vitæ breuitatem nihil memorabile gessit. Anno siquidem proximo Idibus Aprilis, ducentesimo Imperii die Tarsi seu febre, seu militari tumultu est extinctus.

perii gubernationem Probo commissum esse audientibus, est occisus: siue (vt aliis placet) solutis venis occubuit v. Non. Quintilis A. C. 277. Imperii mense altero.




XXIX.

PROBI.

MAXIMVS Dalmata, vir agrestis & olitor: ordines dehinc honestissimè ducens, tribunatum militum adeptus: decessit apud Ægyptios.

M. AVR. PROBVS Sirmia Pannoniæ oriundus: vir acer & iustus, vereque probus: post Taciti mortem à militibus IMP. electus, & per Senatum confirmatus III. Non. Aprilis A. C. 277. omnibus Romanis ducibus, qui fortes, clementes, prudentes extitere, aut par aut superior fuit. Francos in Belgico, Alemannos ad Nicrum, Gothos in Thracia repressit: in Oriente omnia compescuit: Saturninum tyrannum diuersis prœliis vicit: Proculum & Bonosum Cæsares apud Agrippinam oppressit: Siciliam & Isauriam latrociniis purgauit: Romam reuersus, de Blemiis & Germanis triumphauit. Ad bellum Persicum iter parãs: apud Sirmium militari tumultu est occisus IV. Non. Decembris A. C. 282. regni sui sexto. Victor omnium gentium barbararum: victor etiam tyrannorum. Sepultus à sorore Claudia.

CLAVDIA à solis fraterni funeris exequiarum honoribus celebrata:




XXX.

AVR. CARI.

M. AVR. CARVS Narbonæ genitus, & Romæ in bonis literis educatus: per gradus ita creuit, vt Præfectus prætorio à Probo crearetur. Post cuius cædem, militum fauore ad Imperium euectus, eam acerrimè vindicauit: filios Cæsares nuncupauit: Sarmatas repressit, hostium sedecim millibus interfectis, & viginti millibus captis. In Asiam inde ad bellum Persicum transiens: apud Ctesiphontem fulminis ictu interiit A. C. 283.

M. AVR. CARINVS Cæsar, homo contaminatissimus, adulter, & corruptor iuuẽtutis: Elagabali mores impudicos imitatus; & piorum sanguine madefactus: multis prœliis cũ Diocletiano, in Perside Imperatore designato, conflixit: sed postrema pugna ad Margũ in Dalmatia commissa victus occubuit: à tribuno nimirum, cuius vxori stuprũ intulerat, iugulatus A. C. 285. vxores nouem habuit. quarum tamen nomina ignorantur.

M. AVR. NVMERIANVS Cæsar, optimis prẹditus moribus: miles, orator, & poëta bonus: patris bello Persico comes: ob cuius necem oculos nimio fletu summè sibi corrupit: ab Arrio Apro socero, Imperium affectante, in campis Veronẽsibus est occisus A. C. 284. mense Aprili.



XXXI.

DIOCLETIANI.


N. Dalmata, Amilini senatoris libertinus.
Vxor DIOCLEA.

C. VALERIVS DIOCLETIANVS, Salonis Dalmatiæ ortus vtroque

parente

parente ignobili: militare à pueris cœpit. Poſt exceſſum Numeriani, XI. Kal. Maii A.C. 284. ab exercitu IMP. inauguratus: Aprum, necis Numeriani auctorem, gladio transfodit: Carinum fudit, fugauit, cæcidit. Quúmque bellis vndique naſcentibus, ſolus tot periculis reſiſtere non poſſet: ſocium ſibi adſciuit, Auguſtumque nominauit Maximianum Herculeum, quî cum ſumma ſemper regnauit cōcordia. Non multo pòſt aliis duobus collegis ſibi adiunctis, in Oriētem profectus; Ægyptum recepit: Alexandria octo menſibus obſeſſa, magnam hominum multitudinem trucidauit: Achilleum, qui ſe Imp. nominauerat, beſtiis dilaniandū obiecit: rebus vndique pacatis, perſecutionem in Chriſtianos omnium ſæuiſſimam & maximè diuturnam exercuit: diuinos ſibi honores vſurpauit, & adorari voluit. Sponte tandem (quod rarò fit) A.C. 304. eodem quo ad regni faſtigium aſcenderat die, Imperium Nicomediæ depoſuit: & Salonis in propriis agris conſeneſcens; decennio pòſt à Conſtantino Magno & Licinio ad nuptias Conſtantiæ vocatus; cum minacibus literis illi eius excuſationem reiicerēt, epoto veneno periit, annum agens LXXIII.

GAL. VALERIA in vxorem tradita GAL. VALERIO MAXIMIANO, à Diocletiano iam adoptato, & Auguſto facto.



XXXII.


MAXIMIANI HERCVLEI.

M. AVR. VALERIVS MAXIMIANVS, Herculeus cognominatus, vir fortis, reique militaris peritus: ſed truculētus, ſanguinarius, & crudeliſſimus Chriſtianorum perſecutor: libidinoſus inſuper & ſororum ſtuprator: à Diocletiano appellatus Auguſtus, & in regni cōſortium adſcitus: Gallias & Africam pacauit. Imperio, cui annis ſedecim præfuerat, ipſe quoque Mediolani ſe abdicauit: quod dum quarto anno pòſt recipere affectaret: eámque ob cauſam Conſtantino genero inſidias strueret: ab ipſo captus, Maſſiliæ fractis laqueo ceruicibus occubuit A. C. 308. Vxor EVTROPIA Syra: ex priore marito, cuius nomen ignoratur, genuit Theodoram, vxorem poſtea Conſtantii Chlori.

M. AVR. MAXENTIVS, à Prætorianis non abnuente Senatu IMP. dictus: Romanos infandum premere cœpit: bonos & claros viros trucidauit; bona ipſorum diripuit: noua vectigalia inuenit: in Chriſtianos ſummè deſæuiit: honeſtas matronas & virgines rapuit: militibus licentiam omnium ſcelerum conceſſit. Quam ob rem à Conſtantino Magno ad pontem Miluium ſuperatus, & Tiberi abſorptus: crudeliſſimo ſed digniſſimo ſupplicio, ipſe ſæuitiæ & libidinis ergaſtulum, periit A.C. 312. IIX. Kal. Octobris. Vxor MAGNENTIA VRBICA.

FL. FAVSTA vxor Conſtantini Magni Imp. mulier ethnica, impia & libidinoſa: Criſpum priuignū ad ſtuprum ſollicitata: renuētem dolo è medio ſuſtulit. Vnde poſt aliquot annos cauſa cognita, à Cōſtantino in balneas ardentes cōiecta, necata eſt.

M. AVR. ROMVLVS Cæſar, à patre deſignatus Cos. A. C. 308. à quo etiam poſt obitum eſt conſecratus.



XXXIII.

MAXIMIANI ARMENTARII.

Maximiani pater ἀνώνυμος, mater ROMVLA: homines agrarii in Dacia Ripenſi.

C. GALERIVS MAXIMIANVS, cognomento ARMENTARIVS, à Diocletiano adoptatus & Augustus factus: duos sibi similiter adoptauit Cæsares, Seuerum & Maximinum: illum Italiæ, hunc Africæ & Orienti præfecit: Illyricum ipse sibi retinuit. mortuo Seuero, Licinium ad Imperii societatem assumpsit: nec multo pòst ob sæuam libidinem & crudelitatem in Christianos, vlcere inguinibus innato, genitalibus consumptis defecit: & vermibus vbique erumpentibus, fœdissimo, sed digno, exitu periit A.C. 311. Homo sanguinarius, & crudelissimus, simulacrorum cultor: rus, vnde venerat, olens: deliciis & luxu ad insaniam vsque diffluens: nullam vrbem sine adulteriis & virginum stupris incontaminatam relinquens. Vxor GALERIA VALERIA, Diocletiani Imp. F.

Maximiani sorores duæ innominatæ: altera Seueri, altera Maximini mater.

FL. VALERIVS SEVERVS, natus in Dacia: à Galerio auunculo Cæsar & Augustus dictus: altero Imperii anno Rauennæ in bello contra Maxentium occisus A.C. 307.

C. GALERIVS VAL. MAXIMINVS, Daza cognominatus: ab auunculo adoptatus, & Orienti præfectus: Christianorum hostis infensissimus: in apparatu belli aduersus Licinium, Tarsi acerbissimis corporis cruciatibus correptus: & atroci liquescẽtium membrorum ardore cõsumptus: eo propemodum morbi mortisque genere, quo auunculus, periit: quũ quadriennio Cæsar, triennio Augustus imperasset, A.C. 313.



XXXIV.

LICINII.

C. VALERIVS LICINIVS in Dacia parentibus agricolis natus: extrema pueritia militauit: promotúsque tribunus militum, bello contra Narsem optimè se gessit. A Galerio inde Maximino, mortuo Seuero, Carnuti ad Imperii societatem assumptus XI. Kal. Maii A.C. 310. eiusdem liberos affines iure sodalitatis & consortii interfecit. Erat enim homo admodum asper, & truculentus: vitio auaritię & libidinis omnino deditus: literis adeo infensus, vt eas venenum & pestem Reipubl. nominaret: Christianis verò infensissimus, in quos è Palatio exactos omnibus modis sæuiit. Quapropter Constantinus Magnus, armis ipsum superatum, purpura exuit: & quum etiam tum quiescere non posset, Thessalonicæ per milites vita priuauit sexagenarium A.C. 324. Vxor CONSTANTIA Cõstantii Chlori F. maritum fratri frustrà sæpè reconciliauit: pacta aliquando salute, & indumento regio per ipsum fratri oblato.

M. IVLIVS LICINIVS Iunior, ab auunculo Constantino Magno infans mensium ferè viginti Cæsar appellatus: adolescens egregius, & optimæ indolis: insidiis Faustæ, ne peritia in militando filiis illius obesset, interiit A.C. 326. ætatis suæ XIII.


IMPE-



IMPERATORVM CONSTANTINOPOLITANORVM & GRÆCORVM FAMILIÆ.

I.

CONSTANTINI MAGNI.



Familiæ ἐκφρασις.

EVTROPIVS Romanæ gentis nobiliſſimus, genus ab Ænea ducens: ex vxore CLAVDIA, Claudii Imp. ex fratre nepte, genuit

FL. VAL. CONSTANTIVM CHLORVM, Præſidem Dalmatiæ: ab Auguſtis Diocletiano & Maximiano, ſæuis bellorũ turbinibus vndiq; conquaſſatis, Kal. Martii A.C. 291. Cæſarem inauguratum: quibus poſtmodum ab Imperio ſe abdicantibus, cum Maximiano collega partitione facta, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam retinuit, & quiete poſſedit. Spiram condidit. Bino cum Germanis prælio congreſſus: priore inferior, alterò reparatis viribus victor, Gallias liberauit, & Romanis legibus reddidit: cum Germanis fœdus icit, qui eius liberalitate deuincti, ab armis ceſſarunt. Cæterùm poſtquam vt Auguſtus imperaſſet vltra biennium, menſes tres, dies quinque: Eboraci in Britannia morbo abſumptus deceſſit IIX. Kal. Sextilis A.C. 306. ætatis ſuæ LVI. Ibidem ſepultus. Vir pius & à Chriſtiana pietate non planè abhorrens: diuitiarum præterea contemptor, modici cultus, modeſtus, natura mitiſſimus, facilem ſe & amabilem cunctis præbens. Liberi eius

ex HELENA Coëlis Britanniæ Regis F. fœmina ſanctiſſima & Chriſtiana; quæ filium ad Chriſti religionem pertraxit: Romæ defuncta octogenaria XV. Kal. Septemb. A. C. 327. & Conſtantinopoli ſepulta; vxore prima:

FL. CONSTANTINVS MAGNVS Imp. puer optimis imbutus literis: inde ſub Galerio Maximiano in Oriente rudimenta militiæ feliciſſimè auſpicatus: parta ex Sarmatis egregia victoria, veritúſque ex ea laude gliſcentem inuidiam, ad patrem transfugit: à quo ob egregiam indolem Cæſar, & in régno ſucceſſor nominatus: ipſo defuncto, Gallias, Hiſpanias, & Cottias alpes obtinuit. Imperator maximus, victorioſiſſimus, & in opprimendis tyrannis feliciſſimus. Etenim à Senatu ex Galliis euocatus, Maxentii exercitum ad vrbem Romã, fulgidæ crucis auſpicio, concîdit: hoſte Tiberinis gurgitibus abſorpto,

vrbem ipsam adeóque totam Italiam pristinæ maiestati asseruit: Licinium Christiani sanguinis auidum, acerrimo prælio victum, fugatumque, tandem interemit: Sarmatas & Gothos, Thraciam diripientes, omnémque ferè Scythicam gentem, multis præliis debellauit. A bellis ad pacis studia conuersus, leges tulit sanctissimas: synodum Nicenam CCCXXII patrum, multis dissidentibus, indixit: Byzantium instaurauit, mutatóque nomine Constantinopolim nuncupans, illic Imperii sedem fixit. Nouissimè dum aduersus Persas, Mesopotamiam vastantes, bellum molitur: Nicomediæ in Bithynia, quò ob aduersam valetudinem aduolârat, cœlesti aqua lustratus: breui inter pias preces expirauit XI. Kal. Iunii, ipso die Quinquagenaliorum A. C. 337. Inhumatus Constantinopoli in Basilica B. Apostolorũ. Annos vixit LXV. menses duos, dies XXVI. imperauit annos XXXI. demptis LXIV. diebus. Liberos genuit

ex MINERVINA vxore prima,

FL. IVL. CRISPVM: *qui a patre Præfectus limiti Danubiano & Cæsar appellatus: Sueuos deuicit: Istriam in Pannonias transtulit. Fausta tandem nouerca stuprum renuens: falsò ab ea criminatus, quasi vim ipsi inferre voluisset patris iussu ad Polam Istriæ veneni frigore extinctus est A.C. 326.*

ex FAVSTA Maximiani Imp. F. vxore altera: qua impellẽte opinionibus veterum Constantinus aliquandiu hæsit, & diis sacrificauit: cuius item fraude Crispus necatus est. Quapropter à marito, causa cognita, in ardentes balneas coniecta, impiam ibidem ipsa quoque efflauit animam:

FL. CLAVDIVM CONSTANTINVM *Iuniorem, Arelate in Galliis natum A.C. 315. Hic diuisione orbis Romani sortitò ex patris testamẽto facta, accepit Galliã, Hispaniam, Alpes Cottias, Britanniam, Orcades, Hiberniam, Thulen. Verùm sorte sua non contentus: dum aduersus Constantem parricidiali moto bello, incautus cum ipso temulentusq; manus conserit: ad Aquileiam obtruncatur: caputq; amputatum in Alsam amnem abiicitur III. Non. Nouembris A. C. 340.*

FL. IVLIVM CONSTANTEM *diuiso Imperio, sortitum Italiam, Africam cum insulis, Illyricum, Dalmatiam, Macedoniam, Achaiam, Peloponnesum & Græciam: qui fratre cæso, eius quoque hæreditatem occupauit, cum prouinciis transalpinis. Optimum ipse primis annis egit principem: postea ex aduersa valetudine prouincialibus factus difficilis & morosus: Magnentii, ducis Rhætici & Vindelici limitis, insidiis dormiens intra tentorium ad oppidum Helenam est oppressus III. Kal. Martii A.C. 350. ætatis suæ XXVII. quum annos imperasset duodecim, menses nouem, dies quinque.*

FL. IVL. CONSTANTIVM: *cui, paterno Imperio sorte diuiso, cessit Oriens & Thracia, cuius caput Constantinopolis, Gallo postmodò Cæsari inaugurato Oriente commisso: ad fraternam cædem vindicandam, Hesperios infesto milite petiit & Magnentium tyrannum bino memorabili prælio fudit: semel ad Marciam, vbi Romani Imperii vires penè concidêre, desideratis vtrobique 53000. hominum: iterum ad Lugdunum, vbi tyrannus ex impatentia violentas sibimet manus intulit. Solus itaq; tyrannis vndiq; oppressis, Monarcha factus: mox Gallum quoq; Cæsarẽ, multa petulanter, proteruè & crudeliter facientem, è medio sustulit: contra Persas autem sæpe infeliciter conflixit. Hinc dum Iuliani, recens à propriis militibus ad Imperatoriam dignitatem subuecti, conatibus obuiã ire parat: ad Mopsocrenen iuxta radices montis Tauri, febre acutissima correptus: decessit III. Non. Nouemb. A. C. 361. ætatis suæ XLV. quum imperasset annos XXIV. menses quinque, dies decem. Sepultus Constantinopoli in æde S. Apostolorum. Princeps eloquentiæ cupidus, patiensq; laboris: at Arrianæ hæreseos fautor singularis. Duas vxores habuit:* EVSEBIAM *sororem Eusebii & Hypatii Cos. sterilem:* & FL. MAXIMAM FAVSTINAM, *matrem*

FAVSTINÆ Posthumæ Gratiano Imp. in matrimonium collocatæ.

CONSTANTIAM *Gallo Cæsari* } *suis patruelibus nuptas.*
HELENAM *Iuliano Imperatori* }

ex THEODORA *Maximiani Imp. priuigna, quam repudiata Helena, ducere fuit coactus:*

FL. DELMATIVS ANNIBALLIANVS genitor

FL. VAL. DELMATII *nati in oppido Thraciæ Nesso: qui à patruo Constantino Magno Cæsar dictus, & vnà cum filiis ipsius hæres scriptus: paucis ab obitu illius diebus, Constantii patruelis sui fraude occidit A. C. 337. Fertur desponsatam ipsi fuisse* CONSTANTIAM, *Constantini Magni F. quæ postea Gallo Cæsari nupsit.*

CONSTANTIVS vir ingenio hebetiore, animo segniore & timidiore: nulla re alia, præterquàm matrimonio, nobilitatus: ex binis coniugibus, GALLA sorore Rufini & Cerealis Coss. & BASILINA fœmina nobilissima, duos procreauit filios: quorum

FL. CONSTANTIVS GALLVS *matre* GALLA *apud Thuscos in arce Therbensi genitus, post Constantis interitum, variis tyrannis Europam inuadentibus, à Constantio Imp. patruele Cæsar designatus: contra Iudæos, qui apertè rebellauerunt, cum copiis hostili*

stili animo perrexit: eos citra omnem sexus & ætatis rationem strauit, fudit, trucidauit. oppida illorum complura diripuit, euertit, incendit. Tandem quum crudelissimè in quosuis saeuiret, omnibusq; se probris contaminaret: blanditiis & fraude à Constantio Imp. apud Petanionem, Noricorum urbem, captus: Polæ (urbs est Istriæ) capite abscisso crudeliter necatus est A. C. 354. vitæ undetrigesimo, potestatis quarto. Vxor eius CONSTANTIA *pro marito intercessura, ad Constantium fratrem Imperatorem abiens, in itinere decessit A.C. 354. Romæ in suburbio Via Nomentana sepulta.*

FL. CLAVDIVS IVLIANVS *cogn. Apostata. Constantinopoli natus matre* BASILINA *fœmina nobilissima: optimæ indolis, acerrimiq; fuit ingenii, & in omni disciplinarum genere satis eruditus. In Christiana quoque religione ab Eusebio Nicomediensi episcopo probè institutus: Christum palam cõfessus est. Postea verò Libanium Sophistam nactus magistrum, magiæ se addixit: & Christo Seruatore suo perfidè deserto, clam ad deos gentiles desciuit: nouoque contra Christianos persecutionis genere grassatus; præmiis & honoribus & persuasionibus multos ad Idolorum cultum deflexit. Sexennio illo, quo fuit collega Cõstantii, in bellis legitimis aduersus Alemannos & Francos rem felicissimè gessit: hostium infinitas copias deleuit: regem Alemannorum Badomarium cepit. Proditor tandem factus animæ suæ, & Christiani exercitus iugulator: in bello contra Persas vulneratus, expirauit postridie Non. Iunii A.C. 363. Moriturus fertur manum sanguine impleuisse: eoq; in aërem proiecto, Christum debellatorem suum rabiosè hoc allatrasse scommate;* Vicisti Galilæe, vicisti. *Ita simul & victoriam confessus est, & blasphemiam euomuit. Sepultus in villa suburbana Tharsi vrbis Ciliciæ. Vixit illi annorum* XXXII. *Imperium anni vnius, mensium septem, dierum trium. Vxor* HELENA *patruelis fraude Eusebiæ Constantii Imp. vxoris venenum bibere illecta, ex partu obiit. Romæ in suburbio via Nomentanæ iuxta sororem sepulta.*

CONSTANTIA à Constantino Magno, fratre suo consanguineo, Mediolani in matrimonium tradita C. VAL. Licinio Imp. Christiani nominis infensissimo.

EVTROPIA Nepotiano Cos. sub Diocletiano elocata: mater

FL. POPILLII NEPOTIANI, *Romæ post cædem Constantis à populo & gladiatoribus salutati Augusti: sed mox Imperii die* XXIIX. *ab Heraclida, Magnentianæ factionis fautore, per insidias obtruncati: capite palo affixo, & per Vrbis itinera deportato, A.C. 350.*

II.

IOVIANI.

VARRONIANVS Pannonius, incola agri Singidonensis, audita filii celsiore fortuna, antequam eum videret, fatali præuentus est morte A. C. 363.

IOVIANVS vir pius, & Christiani nominis defensor: post Iuliani Apostatæ interitum ab exercitu Imp. salutatus: nõ priùs profiteri Imperatoris nomẽ voluit, quàm omnes conclamarent, Christianos se esse. Pace cum Persis magis necessaria, quàm honesta, icta: non multo pòst cruditate stomachi, siue prunarum fœtore, in prædio Dadastana, inter Galatiam & Bithyniam sito, interiit; vix degustatis Imperialibus honoribus, XIII. Kal. Martii A.C. 364. ætatis suæ XXXIII. Fuit cum Imperio tantùm menses septem, dies XXII. Vxor CHARITO, Lucilliani F.

VARRONIANVS infans cum Ioviano patre Cos. creatus Ancyræ.

III.

VALENTINIANI.

GRATIANVS mediocri stirpe ortus apud Cibalas in Pannonia, à prima pueritia Funarius cognominatus: quòd nondum adultus venalem circumferens funem, quinque militibus eum rapere magno studio conatis, nequa-

quam cessit. Ob validi ergo corporis robur, & luctandi peritiam, tribunus factus militum: mox ad præfecturæ prætorianæ conscendit potentiam. Ex Britannia, honestè sacramento solutus, ad patrium reuersus larem: bonis à Constantio Imp. est mulctatus: quòd ciuili flagrante discordia, Magnentium hospitio suscepisse ferebatur.

VALENTINIANVS I. Cibali in Pannonia natus: sub Iuliano militares honores religionis amore deseruit. Iouiano inde extincto, Niceæ in Bithynia ab exercitu communi omnium suffragio, ob egregias suas virtutes, Imp. creatus est. Fuit enim ingenio admodum solerti, eloquens, facundus, rei militaris summè peritus: omnibus vitiis, auaritiæ imprimis, infestus: Christianæ denique pietatis cultor eximius. Theodosii magistri equitum auspiciis, Saxones & Mauros contudit: ipse Alemannos attriuit: Gothos Thracia, Parthos Syria expulit: aliisque deuictis hostibus, Rhœtias, Vindelicos, Noricum, Pannonias, Mœsias recepit. In Illyricò tandem apud Bergentionem, dum Quadorum & Sueuorum legationi, latrocinia excusantium subita ira accensus respondet: voce sanguinis impetu amissa, sensu integer expirauit XV. Kal. Decembris A.C. 375. Sepultus Constantinopoli in basilica S. Apostolorum. Vixit annos LIV. menses octo, dies XX. imperauit annos vndecim, menses octo, dies XXII.

VALENS à fratre in Imperii consortium ascitus: egregias suas virtutes omnes impietate (ne dicam crudelitate) Ariana polluit ac contaminauit. Fuit namque (vt Nazianzeni verbis vtar) Christi cultor pariter & Christi osor: post persecutionem persecutor: & post apostatam non quidem apostata, sed nil melius: quippe Christi nomen præ se ferens, Christum mentiebatur. Orienti præfuit: Procopium vicit & occîdit. Prælio ad extremum cum Gothis infeliciter commisso: in tugurio quodam non procul Hadrianopoli, quò saucius spe salutis profugerat, ab hostibus incenso, combustus periit V. Id. Sextil. A. C. 378. quinquagenarius. Fuit cum Imperio annos XIV. menses quatuor, dies nouem. Vxor DOMINICA siue DOMNINA. Hunnis, Alanis & Gothis, Constantinopolim obsidentibus, viriliter restitit: hostésq; ab vrbe repulit.

Liberi Valentiniani ex vxore

SEVERA | IVSTINA Iusti F.

GRATIANVS Imp. natus Sirmii in Pannonia: princeps religione clarus, militia strenuus, Poeta & Orator haud vulgaris: Italiam ab Ariana labe repurgauit, & ad Christi fidem redegit. Theodosium contra Gothos in Thraciam misit: & re feliciter gesta, Imperii consortem fecit: tradito ipsi Oriente, cum imperio Thraciæ. A Maximo tandem Galliæ Præside, qui in Britannia Imperium arripuerat, apud Lugdunum insidiis circumuectus est & occisus IIX. Kal. Septemb. A. C. 383. ætatis suæ XXIV. Imperii sexto decimo. Sepultus Constantinopoli.


VALENTINIANVS II. post patris obitum à fratre Augustus nuncupatus, & in Italiam missus: fratre dolo Maximi perempto, in Illyricum cõfugit: inde in Orientem ad Theodosium. Cæterùm quum ipsemet quoque insequentibus temporibus Viennæ in Galliis negligentius ageret: & Alanum militem Romano præferret: intra Prætorium ædésq; Palatinas conclusus; conspiratione Arbogasti, quem rei militaris magistrum legerat, ab eunuchis nocte in cubiculo strangulatus est Idib. Maii A.C. 392. ætatis suæ XXVI. Cadauer exanime suspendio (quasi ipse sibi mortem consciuisset) laqueóque infamatum. Sepultus Constantinopoli.

IVSTA, GRATA, virgines obiere.

GALLA nupsit Theodosio Magno Imp.

THEODO-

IV.
THEODOSII MAGNI.



Familiæ ἐκφρασις.

HONORIO Hispano, genus suum ad Traianum Imp. referenti, ex vxore THERMANTIA duo nati filii: quorum

HONORIVS genitor perhibetur

SERENÆ fœminæ doctissimæ: quæ Stiliconi Vandalo, homini perfido & proditori barbaro, matrimonio iuncta; peperit

MARIAM
THERMANTIAM } *vtramq; Honorio Imp. desponsatam.*

EVCHERIVM vnà cum patre trucidatum; dum Occidentis illi Imperium malis artibus parare conatur A.C.408.

THEDOSIVS Magnus originem à Traiano trahens, ipsum animo & filo corporis expressit: à Gratiano Augusto apud Sirmium socius & Comes Imperii electus, annis regnauit sedecim. Heros optimus, Orthodoxæ doctrinæ amantissimus, bello & pace præstantissimus, & viuum Christiani principis exemplar: qui labentem Rempub. in pristinas vires restituit: Gothos multis variisq; prœliis afflixit: Maximum tyrannum, & Andragatium eius præfectum, subito incursu apud Aquileiam victos occidit: Eugenium alterum tyrannũ vnà cum Arbogaste acri prœlio debellatos, ventis pro se pugnantibus, obtruncauit: sicq; Germanorum bellicosa gente attrita, & ardentissimis Gallis subactis, Romæ suæ victrices aquilas reportauit. Orienti tandem virtute sua pace data, Mediolani ex hydrope diem clausit sexagenarius, XVI. Kal. Februarii A. C.395. Sepultus Constantinopoli. Nati autem ipsi

❧ *ex ÆLIA PLACILLA, fœmina religiosissima, & castitate insigni, quæ multa pietatis exempla egenis exhibuit, vxore prima,*

ARCADIVS consors Imperii patris, Orienti præfectus tutore Ruffino; qui deinceps dum Gothica solicitat arma, vt Imperium metu ab Arcadio extorqueret, perfidiæ suæ pœnas dedit: vt & alter dux Gothicus & Arianus, nomine Caianus, sceleris Ruffini popularis. Non multo pòst Arcadius, quũ tredecim amplius annis rem Romanam rexisset menses tres, dies quatuordecim; Constantinopoli diem obiit Kal. Maii A. C,408. ætatis suæ XXXI. Ibidem sepultus. Princeps pius & mitissimus: qui & ipse constanter retinuit Symbolum Nicenum. Vxorem habuit EVDOXIAM, fœminam arrogantem, auaram, improbam, audacem: cuius peruerso studio Ioannes Chrysostomus in exilium est eiectus: tribus ante mariti fata annis morbo solutam. Ex hac quinque tulit liberos:

THEODOSIVM II. patre moriente nouennem sub tutela Isdigerdis Persarum Regis relictum: qui eam summa fide gessit, & pacem cum Romanis coluit, quoad vixit. Is verò duce Anthemio Imperium dexterrimè administrauit: & patruo Honorio defuncto, Valentinianum consobrinum adoptauit. Persis, fracto fœdere, bellum indixit: Parthorum ducem superauit. Pace constituta quum Imperium annis XLII. cum tribus fermè mensibus tenuisset: febre solutus est V. Kal. Sextil. A.C. 450. vita XLIX. completo, cum mensibus tribus, diebus octodecim. Princeps vita integerrima, veræ religionis studiosissimus, pacis amantissimus, militiæ laborum tolerãtissimus, apprimè eruditus: quippe qui tertiam synodum contra Nestorium celebrauit: & Constitutiones principum in vnũ Codicem collegit, qui adhuc extat titulo Codicis Theodosiani. Constantinopoli ad patrem & auum sepultus. Vxorem habuit EVDOCIAM

M

F. Leontii Atheniensis Philosophi: quæ præter egregiam formam singularemq; pudicitiam, etiam literis excelluit; absoluto eo libro, cui titulum Græci Ὁμηρόκεντρα faciunt. Hac nata

EVDOXIA Valentiniani consors, à Genserico cum duabus filiabus in Africam abducta.

PLACILLAM natam A.C. 397.

MARINAM.

ARCADIAM virginem defunctam A.C. 444.

PVLCHERIAM excellenti ingenio, summa bonitate, integritate, & sanctitate fœminam: religionis cultricem obseruantissimam: cuius consilio & prudentia, regnante Theodosio, res maxima gubernatæ sunt. Hæc postea FL. MARCIANVM humili genere natum, sed militia clarum, senem admodum in tori communionem eligens, diademate Cæsareo donauit. Moderatus is fuit princeps, singularíq; prudentia: arma nunquam, nisi prouocatus, mouit: quietis amator, quietum Orientem habuit. Suorum tandem conspiratione peremptus Constantinopoli IIX. Kal. Februarii A. C. 457. Ibidem sepultus.


HONORIVS à patre Theodosio Magno, contra Eugenium Occidentis tyrannum arma suscepturo, in Imperii consortium assumptus, & Occidenti præfectus: annos eum rexit sesquitriginta vnum, dies triginta sex. Romæ agens, Gildonem rebellantem, & regnum Africæ adeptum, fratris ipsius Mascozelis ductu superauit, occiditque: nec multo pòst Bonifacii auxilio ipsum quoque Mascozelem itidem rebellem: Rhadagaisum Scytham, irruptionem in Italiam facientem, ad Fæsulas cum ducentis Gothorum millibus profligauit: Regem ipsum captum, in carcere strangulauit: Stiliconem socerum, hominem perfidum & Imperii affectatorem, Romæ in foro Pacis vnà cum filio obtruncauit. Rauennæ hydrope correptus, decessit Romæ XIIX. Kal. Septemb. A. C. 423. Ibidem sepultus in basilica D. Petri. Vita ipsi annorum vndequadraginta, demptis diebus XXVI. MARIA Stiliconis F. Honorio nuptum data, ante nuptiarum diem obiit. THERMANTIA altera Stiliconis F, eidem desponsa, sororis fatum virgo secuta est.

ex GALLA Valentiniani Maioris F. vxore altera:

PLACIDIA ab Alarico Gothorum Rege, Roma capta, captiua abducta: in foro Cornelii Hataulpho illius cognato, connubio est sociata. Quo à suis, quòd cum Romanis fœdus pepigerat, trucidato: Honorio fratri reddita, nupsit CONSTANTIO Patricio Romano, ingentis animi viro, reíque bellicæ ac disciplinæ militaris exercitatissimo: qui tyrannos, Gratianum in Britannia, Constantinum cum filio Constante in Galliis sustulit: barbarorum impetus, Gallias, Hispanias, & Britanniam infestantes, domuit: sed immatura morte sublatus est Cæsar septimestris duntaxat A. C. 420. His natus

VALENTINIANVS III. magna totius Italiæ acclamatione a Theodosio amitino Augusto Augustus appellatus; & ad Occidentis Imperium missus: receptu sub aduentum suum Italia, statim cum Genserico Vandalo, parte Africa contento, pacem sanxit: & aduersus Atilam Hunnorum Regem, Imperio inhiantem, copias ducens, in campis Catalaunicis acerrimè pugnauit, ductu Aetii: quem deinceps Maximi potentissimi viri scelere, perduellionis nimirum crimine falsò apud se delatum, ipse sua manu confodit. Sed non multo pòst Romæ in campo Martio ab Aetii satellitibus, frigidam suffundente eodem Maximo, cuius vxorem adulterio polluerat, ipse quoque confossus: pœnas expendit iniustæ illius cædis, magiaeq; ac libidinum suarum; XVI. Kal April. A. C. 455. annos natus XXXV. menses octo, dies quindecim. Uxor EVDOXIA, Theodosii II. Imp. F. post mariti interitum Maximo tyranno per violentas nuptias copulata: in eius vltionem Gensericum Vandalum accersens: ab ipso, Roma capta & direpta, cum duabus filiabus abducta est: quarum

EVDOXIA nupta Honorico Vandalo, Genserici F. tyranno crudelissimo: filium enixa est HILDERICVM, Ecclesiæ Dei singularem nutritium. Ipsa postea marito deserto, Hierosolymæ vixit in lacrymis & precatione. PLACIDIA Olybrio in vxorem est data: qui septem mensibus Romæ Imperii habenis potitus, periit X. Kal. Nouemb. A. C. 472.



V. VI.

LEONIS THRACIS, ET ZENONIS ISAVRICI.

LEO natus in Thracia, primus ex Græca natione Imperium Romanum tenuit, Asparis patricii factione adiutus: primus ab Anatolio Patriarcha coro-


coronatus est. Pius hic, & veræ religionis fuit amator: sapientiæ & pacis studiosus: erga inopes & egenos misericors. Asparem Vandalum Arianum, cum Ardaburio eius filio Cæsare à se creato, ecclesias turbare conatos, vitæq; suæ insidias struentes, occidit: Genserico Vandalorum Regi, prædas in Imperio exercenti, bellum internecinum indixit; summa rerum Basilisco leuiro malè demandata; quippe qui in ipso pugnæ ardore fugæ se dederat: cum Valamiro Ostrogothorum Rege fœdus icit. Profluuio ventris extremè attenuatus: viuendi finem fecit Constantinopoli circa Idus Ianuarius A. C. 474. potestatis XVII. Ibidem sepultus. Vxor VERINA soror Basilisci, à Zenone Lemnis inedia necati.

ZENO ISAVRICVS ex Isauria Ciliciæ humilibus parentibus natus, humili & incognita villa, moribus & vultu deformis, dissolutus, intemperans; Theodoricum Ostrogothorum Regem ad oppugnandum Odoacrem in Italiam misit; Basiliscum & Leontium, qui Orientem inuaserant, profligauit, illum cum Marco F. in Cappadociam relegatum, fame & frigore mori coegit. Ipse non multo pòst, quũ se pro more multo mero onerasset, adeo vt nihil à mortuo differret, ab vxore Ariadne sepulcro illatus; morte miserabili periit VII. *Id. Aprilis A. C. 491. quum non vt Augustus, sed vt tyrannus imperasset annis fermè* XVII.

ARIADNE vtrique nupta. Soror eius LEONTIA sociata est Marciano, F. Anthemii Occidentis Imp. à genero suo Ricimere ad pontem Ælium victi, gladióque transfossi A.C. 472.

ANASTASIVS DICORVS cognomento, Ariadnæ, quæ ipsi vndecimo post Zenonem extinctum die nupsit, opera ad Imperium euectus: id tenuit annos XXVII. *menses tres, dies totidem. Isauros superauit: cum Parthis decertauit, Ecclesias valde turbauit. Ipse namque magus & Manichæus, Eutychianos quoque defendit: in diuinis præcipiens non trinitatem, sed quaternitatem esse adorandam. Diuina itaque vltione, fulmine ictus periit* VI. *Idus Iulii A. C. 518. octogenarius.*

LEO IVNIOR ab auo materno regni successor constitutus, Zenoni suo patri, nouo pietatis exemplo, nondum elapso anno Imperii, diadema Cæsareum suis manibus imposuit, patremq; pro se Imperatorem fecit, nec ita multo pòst graui morbo oppressus decessit A. C. 474.




VII.
IVSTINIANI.

IVSTINVS Thrax, vtroque parente ignobilis, à teneris annis suum boúmque custos, pòst lignarii cuiusdam minister: annos natus sedecim, militiam sectatus: mutata sorte, altiores dignitatis gradus paulatim obtinuit. A Senatu electus IMP. quò laborantem Rempub. restitueret; mox Amantium & Theocritianum, vitæ suæ insidiatores, è medio sustulit. Vir ipse veræ pietatis studiosissimus, Chalcedonense concilium edicto suo promulgauit: Orthodoxos episcopos, quos Anastasius iniustè extorres egerat, ab exilio reuocauit: omnem Arianæ pestis labem, cum eiusdem assertoribus, ex toto Orientali Imperio eiecit. Vxorem habuit LVPICIAM, à coronatione Euphemiam cognominatam. Constantinopoli vita excessit Kal. Sextil. A. C. 527. postquam supra XXIV. dies Imperio præfuisset nouennio: Imperii successore nominato suo ex sorore nepote

IVSTINIANO Budirinæ (vrbs est Illyrici) nato: viro animo & virtute egregio. Hic protinus Imperio reparando animum adiiciens, Orientem pacauit: Persas opera Belisarii vicit, fudit, fugauit: Africam pulsis Vandalis, & Gilimere ipsorum Rege capto, Imperio restituit: Romam à Gothorum seruitute asseruit: Totilam Gothum Narsete duce interfecit: ipsum Gothicum nomen in Italia deleuit. Domi consilio & labore virorum Iuris peritissimorum, Romanarum legum immensam congeriem in breuiorem formam certãq;

volumina redigens: nouam quasi iuris ciuitatem condidit, sanctissimúmque Iuris templum consecrauit. Morbo ex senio affectus, non benè sana mente decessit Idib. Nouemb. A.C. 565. octogenario maior biennio, quum summæ rei præfuisset annos duodequadraginta, menses septem, dies tredecim. Constantinopoli sepultus. Princeps bello & pace inclytus, veteris Romanæ gloriæ instaurator eximius, & procul dubio Impp. maximus, nisi auaritia fuisset notatus; aut Eutychiano delirio (vt quidā auctores sunt) extremam ætatē polluisset. Vxor THEODORA, *pro marito senio confecto & deliro Imperium prudenter administrauit, Vigilium Pontificem Rom. in carcerem, mox in exilium coniecit; ædem B. Apostolorum Constantinopoli expoliit. Illorum nepos ex filia*

IVSTINVS II. Constantinopoli patre Illyrico natus: in aula aui materni tanquam filius educatus, & ab eo coronatus: sub Imperii limine omnium sibi animos liberalitate deuinxit: & cum Persis fœdus pacemque fecit. Pelagianæ deinceps hæreseos factus assertor: quum fœdere rupto, magnam à Persis accepisset cladem; totúsque auaritiæ inhæreret: libidine habendi in insaniam versus, pedúmq; dolore grauiter laborans, decessit VI. Non. Octobris A. C. 576. postquam ad clauum sedisset annos decem, menses totidem, dies viginti. Sepultus Constantinopoli. Vxor SOPHIA mulier imperiosa, Narsetem eunuchum ex Italia in gynæceum ad trahenda cum puellis fila redire iubens; telam abs eo exorsam accepit: quam neque ipsa, neque maritus pertexere valuit. Longobardos siquidem ille ex vindicta in Italiam attraxit.




IIX.

TIBERII CONSTANTINI.

TIBERIVS CONSTANTINVS in Thracia natus, à Iustino II. Imp. per adoptionem in filium & regni hæredem susceptus: rem Romanam septennio integro diebus demptis LII. foris satis feliciter gessit. Persas siquidem grauibus afflixit cladibus, debellauitque: cum Longobardis pacem icit. Fuere in ipso ornamenta, quæ in optimo principe desiderantur. Mansit namq; in professione piarum Synodorum; nec permisit turbari ecclesias: in gubernatione fuit iustus, placidus, sine πολυπραγμοσύνη, sine auaritia: potissimùm verò erga pauperes liberalis. Quamobrem largis à Deo donatus opibus, bona pace quieuit: & Constantinopoli beatissimo exitu vitam clausit IV. Id. Sextil. A.C. 583. Vxor ANASTASIA.

CONSTANTINA vxor Mauricii Imp. fœmina sancta, à Phoca vna cum marito, & liberis ferro iugulata, A.C. 602.

CHARITO nupta Germano Cæsari, qui & ipse vna cum genero Theodosio, eiúsq; patre Mauricio Imp. in seditione militari periit XI. Kalend. Decemb. A. C. 602.



IX.

MAVRICII.

Cappadox ἀνώνυμος.

MAVRICIVS è Cappadocia oriundus, Romæ natus: à Iustino, cuius notarium egerat, Præfectus vigilum creatus: nec multo post à Tiberio Cæsar: primis annis princeps fuit laude dignus & felix. Armenos namque & Persas per suos legatos fudit: Scythas in Mœsia, Longobardos in Italia repressit: Hunnos cum duce Chagano è Pannoniis exegit. Multis victoriis illustris, quum captiuos ob nimiam auaritiam redimere pertinaciter negaret: militibus insuper stipendia aut nulla aut rara daret: conspiratione exorta cum tota sua familia Chalcedone interemptus est XI. Kal. Decembris A.C. 602. sexagenario maior annis tribus: quum imperasset annos XIX. menses tres, dies vndecim. Vxor CONSTANTINA Tiberii

PETRVS ductor copiarū fratris in bello cū Chagano Hunno.

GORDIA vxor Philippici, à Mauricio Imp. contra Persas & Chaganū missi.

berii Constantini Imp. F. ipsi desponsata Kal. Quinctil. A. C. 580. cum marito iugulata.

THEODOSIVS à Mauricio genitore XVII. Kal. Maii A.C. 591. Augustus dictus, & à Ioanne Ieiunatore Patriarcha coronatus: imperauit cum ipso annos vndecim, menses septem, dies sex. Contra Persas missus, ex fuga retractus: à Phoca securi percussus est cum parentibus & germanis. Cadauera in littore abiecta, vt à populo conspicerentur: ab eunucho Pharasmano ad S. Mammatem sepulta sunt in suburbio Constantinopolis.

TIBERIVS, CONSTANTINVS, Eodem cum fratre & parentibus supplicio affecti.

Filiæ tres ἀνώνυμοι,

X.

HERACLII.

HERACLIVS Occidentalis Africæ & Libyæ Præses in Phocam tyrannum coniurans, filium ὁμώνυμον cum pedestri naualique apparatu contra eum misit: victoriáque potitus, crudelissimum de hoste supplicium sumsit. Ex Africa postmodò cum magna manu in Ægyptum & Asiam traiiciens: in itinere decessit. Cuius metu liberati Persæ, Africam inuaserunt, sibiq; subiecerunt. Vxor EPIPHANIA.

HERACLIVS post interfectum Phocam IMP. à militibus salutatus: à Sergio Byzantino episcopo diadema sumsit. Cosrois Persarum Regis, qui nonaginta Christianorum millia vltimo affecerat supplicio, armis pressus: quum neque copias, quæ hostibus pares essent; neque pecuniam, belli neruum, haberet; hostis autem omnes pacis conditiones aspernaretur: ad diuinam confugit opem, supplicans, & supplicationibus ieiunia atque orationes addens. Hunc in modum fide spéque armatus; cum immani hoste duobus præliis conflixit, eoque profligato, duces eius cum omnibus copiis cæcîdit, Persidem in vltionem igne & ferro vastauit, lignum crucis Dominicæ recepit, vna cum Syria & Hierosolyma. Post hanc victoriam, quum neglecta pietate Christiana, aruspicinæ se & præstigiis dæmonum addiceret, Monothelitarum errorem in Ecclesiam Dei inueheret, pios doctores turbaret; & insuper fratris filiam incesto sibi connubio sociaret, à Saracenis victus, amisit CLM. hominum; bellum autem reparanti, noctu ab Angelo cæsa ipsi sunt LIIM. Vnde animo fractus, ex dolore morbum contraxit, & nouo tandem mortis genere occubuit, testium folliculo sursum vulso, cum priapismo, siue virili mēbro semper tento: adeo vt quoties meieret, nisi tabula vmbilico admota prohibente, vultum lotio conspergeret. Alii hydrope extinctum tradunt v. Id. Martii A. C. 641. Imperii trigesimo completo, sedecim duntaxat exceptis diebus. Sepultus Constantinopoli.

PRISCVS Patricius, ductor copiarū Mauricii: post aliquot prælia inducias cum Chagano Hunno fecit; & in Phocam tyrānum, suum socerum, ipse quoque coniurauit.

MARTINA, incestis nuptiis Heraclio Imp. suo patruo iuncta, peperit ipsi Heracleonā: quî cum Imperium arripiens, non toto id tenuit biennio. Etenim à Senatu capta, linguáq; mutilata, ne oratione populū concitaret; cum filio in Cappadociam deportata, ibi exul in carcere periit.

Liberi eius

ex FABIA EVDOXIA *vxore prima*, *ex* MARTINA *fratruele*,

CONSTANTINVS III. natus v. Non. Maii A.C. 612. regnum, non impium quoque dogma, à patre per manus accepit, quod ab eius interitu quadrimestre ipsi duntaxat fuit; veneno nimi-

EPIPHANIA ob sputum per imprudētiam in feretrum matris, dum efferretur, eiectum, cōpre-

HERACLEONAS Constantino fratre sublato, Imperium cum matre arripuit. Scelere cognito, à S. P. Q. Constanti-

DAVID natus A. C. 636.

rum à nouerca & Pyrrho Patriarcha extincto A. C. 641. menſe Sextili. Princeps pius, & Orthodoxæ fidei aſſertor. Vxor GREGORIA, Nicetæ Patricii F.

henſa: & vnà cum cadauere rogo impoſita: viuaq; exuſta eſt: auctore P. Ærodio. Zonoras de puella barbara hoc factum aſſerit.

nopolitano naſo abſciſſo Cappadociam in exilium miſſus, vnà cum matre lingua mutilata VII. Kal. Nouemb. A. C. 641. ibidem in carcere expirauit.

CONSTANS II. adnitente Senatu, qui Martinæ ſcelus execrabatur, rerum potitus: auitam impietatem eſt ſectatus, & Orthodoxos extremè perſecutus: alios paſſim ſupplicio afficiens, alios proſcriptionibus & exiliis damnans. Cum Saracenis claſſe congreſſus: in Lycia victus, vix fuga elapſus eſt. Cum maxima inde manu Italiam ingreſſus, ſub prætextu Longobardos opprimendi, Imperiiq; ſedem ad veterem Romam transferendi: re ad Beneuentum infeliciter geſta, ad direptiones ſe conuertit: vrbéque Roma omnibus ornamentis ſpoliata, in Siciliam traiecit: vbi poſt ſextum annum, quum auarè & crudeliter tributum exigeret, domeſticorum conſpiratione periit Syracuſis in balneo: ſitula, dum ſapone Gallico illiniretur, interfectus Idib. Quintil. A.C. 669. regnationis ſuæ XXVII. completo, cum menſibus octo, diebus viginti.

THEODOSIVS natus A. C. 636. à fratre interfectus.

CONSTANTINVS IV. cogn. Pogonatus, IMP. ephebus adhuc Byzantio ſoluens, in Sicilia Mezentium tyrannum paternæ cædis auctorem, repreſſit: cum Saracenis, in Siciliam, Græciam, & Thraciam irruentibus, plurima bella geſſit: eos ab obſidione Conſtantinopolis, marino igne nauibus incenſis repulit: cum Bulgaris in Pannoniæ inferioris finibus infeliciter congreſſus, Mœſiam inhoneſta pace inhabitandam illis conceſſit, promiſſo inſuper tributo annuo. Quum ſextam Synodum οἰκουμενικὴν, in qua de contagiis Samoſateni diſputatum eſt, Conſtantinopoli celebraret: fratres adhuc pueros naribus ablatis dehoneſtauit, ne ad Imperium aliquando aſpirarent. Cæterùm fautor fuit Pontificiorum acerrimus: quippe qui legẽ tulit, vt quem iam inde clerus populúſq; Rom. cum exercitu Pontificem creaſſent: is verè vicem Chriſti in terris gereret. Obiit A. C. 686. III. Non. Septembris, regnationis ſuę XVII. completo, cum octoginta diebus. Vxor ANASTASIA.

TIBERIVS HERACLIVS Cæſares à genitore Auguſto nominati A.C. 659. ſed à Cõſtantino germano, verito, ne quandoq; ſibi Imp. officerent, naribus ablatis ſunt deturpati, nec ita multo pòſt crudeliter necati.

TIBERIVS in patruorum locum Cæſar ſuffectus: obiit ante patrem A.C. 684.

IVSTINIANVS II. poſtea Rhinotmetus cognominatus, vltimus ſtirpis Heraclianæ: Imperio ante exilium præfuit annis decem; poſt exilium, ſex. Praui vir ingenii, & à fide recta abhorrentis: crudelis, perfidus, & infelix. Bellum aduerſus Arabas & Bulgaros contra fœdera motum, vtrunque geſſit calamitoſiſſimum. Ab illis enim in fugam compulſus, & ex Meſopotamia eiectus: quum vtramque Mœſiam cædibus ac incendio fœdaret: à Bulgaris, ſaltus & locorum anguſtias obſtruentibus, in id impulſus eſt neceſſitatis: vt captiuis cum omni præda reſtitutis, pacem ſibi precariò redditam, ſuo ſuorúmque ſacramento ſanxerit. Byzantium reuerſus, tot incommodis affecit ciues: vt nemo non ſummo eum proſequeretur odio. Conſpiratione ergo contra ipſum excitata, à Leontio amputatis naribus Cherſonam eſt relegatus. Imperio Trebellii Bulgarorum Regis opera recepto; Leontium & Abſimarum vinctos per vrbem raptatos, atque ad eius pedes detractos, quum ceruicibus preſſis calcaſſet, capite truncauit; & in omnes aduerſæ factionis conſcios grauiſſimè animaduertit. Quin & eò ſæuitiæ proceſſit, vt quoties truncas nares emungeret, toties vnum ex iis, qui Leontio fauerant, ad ſupplicium raperet. Quum itaque flagitioſior, indies maiores cædes exerceret, à Philippico Bardane prælio victus; & cum filio ſecuri percuſſus eſt Idib. Sextil. A. C. 712. ætatis ſuæ XLII. Vxor THEODORA, Chagani Bulgarorum Regis F.

TIBERIVS sex annos natus, Blachernis è sacrario, quò vitandi supplicii gratia cum auia fugerat, extractus: & à Philippico crudelissimè instar victimæ iugulatus est A. C. 712.

XI.

LEONTII.

LEONTIVS Patricius Constantinopolitanus, ductor copiarū Iustiniani: Patriarcha Callinico adiuuante, ex carcere elapsus, & IMP. proclamatus: Iustiniano nares præcidit, eúmque Chersonam relegauit: Theodosium monachum, & Stephanum Sacellarium, duos sycophantas aulicos, quorum artibus in carcerem fuerat coniectus, funibus ad pedes alligatis per vrbem traxit, dehinc combussit. Tertio Imperii anno ingentem aduersus Arabas, Africam occupantes, classem parauit: sed re infecta reuersus, ab Absimaro Imperio expulsus; truncatísque naribus in monasterium inclusus: à Iustiniano tandem, in regnum restituto, post longa tormenta capite truncatus est prid. Kal. Sextil. A. C. 706.

XII.

ABSIMARI.

ABSIMARVS, qui & TIBERIVS Carthagine ab Africano exercitu Imp. dictus: Leontium Constantinopoli captum, & pari crudelitate naribus truncatum, in vincula coniecit: Philippicum Bardanam, præcipuæ nobilitatis virum, Chersonam relegauit: contra Arabas siue Saracenos in Syriam misit fratrem HERACLIVM, qui aliquantisper eos repressit. Cæterùm septimo Imperii anno cū Leontio captus, à Iustiniano Rhinotmeto decollatus; frater autem eius suspendio enectus est A.C. 706.

XIII.

PHILIPPICI BARDANIS.

NICEPHORVS vir primarius.

PHILIPPICVS BARDANES, quòd ipsi dormienti aquila caput obumbrasse videbatur, à Tiberio Chersonam relegatus: de exule Imperator factus; Iustinianum Rhinotmetum in fuga vnà cum filio captum securi percussit: sextæ Synodi decreta oppugnans, Monothelitas rursus defendit: Imperii opes dissipauit: Bulgaros Thraciam populantes non prohibuit. Ab Arthemio itaque captus, regnóque & oculis priuatus, miserrimè periit XII. Kal. Iulii A. C. 715. quum vix sesquitriennium Imperium tenuisset.

XIV.

ARTEMII.

ARTEMIVS, qui & ANASTASIVS, vir eruditus, princeps Secretariorum: assumto Imperio, literas ad Rom. Pontificem misit, quibus se Catholicæ fidei defensorem fore pollicebatur: eósque, qui sextam Synodum oppugnabant, repressit. Altero Imperii anno classem ingentem aduersus Arabas in Alexandriam


emiſit. Sed ab exercitu deſertus, & ad Niceam Bithyniæ à Theodoſio Adramitteno victus, atque Theſſaloniam relegatus, ſacros ordines recipere coactus eſt XIV. Kal. Septemb. A. C. 716. Elapſis aliquot annis ambitionis ſtimulo correptus, quum denuò ſe fluctibus ac procellis Imperii immergere conatur: Bulgarorum proditione inopinatò periit, à Leone Iſauro Imp. trucidatus.



XV.

THEODOSII ADRAMITTENI.

THEODOSIVS natus Adramitti in Aſia obſcuris parentibus: ibidem ab exercitu Opſiciano ex publicorum vectigalium exactore inuitus IMP. deſignatus: capta Conſtantinopoli, cœnobio Artemium incluſit: & imagines templorum à Philippico demolitas reſtituit. Cæterùm vir ipſemet facilis, otii & quietis amans, alienus ab omni ambitione: ciuilium bellorum pertæſus; Leoni Iſauro, qui ab exercitu Imperator dictus fuerat, Imperio ſpontè ceſſit A. C. 717. IIX. Kal. Aprilis: quum ſeptem duntaxat menſes, dies totidem ei præfuiſſet: & monaſticam amplexus vitam, priuata quiete deceſſit.



XVI.

LEONIS ISAVRI.

LEO CONON apud Iſauros natus, obſcuriſſimi generis, ſedentariam exercuit. Ab Artemio Imp. contra Saracenos miſſus: quum contra illum Theodoſium factum Imperatorem comperiſſet: Nicomediam reuerſus, hoc quoque deturbato, Imperium arripuit IIX. Kal. Aprilis A. C. 717. coronatus à Germano Patriarcha. Saracenis à Byzantio repulſis: concilio ibidem celebrato cœpit εἰκονομαχεῖν: (vnde Iconomachi nomen inuenit) & imaginibus earumque cultoribus bellum intulit: gratificari ſic volens duobus Iudæis, qui illum imperaturum prædixerant. Mota eam ob rem ſeditione: ciuium alios bonis ſpoliauit; alios in exilium egit; in alios verberibus, in alios vltimo ſupplicio animaduertit. Quapropter Gregorius II. Pontifex Rom. icto cum Francis fœdere, ab ipſo defecit: & ne in vrbe Roma, adeóque tota Italia, tributa annua ipſi penderentur, interdixit atque inhibuit. Ferens id indigniſſimè Imperator, claſſem aduerſus Italos miſit: quam in mari Adriatico naufragio amiſit. Sic bellis & rerum infelicium ſucceſſu vexatus: dyſenteria nouiſſimè periit XIII. Kal. Quinctil. A. C. 741. quum imperaſſet annos XXIV. menſes duos, dies XXV. Sepultus Conſtantinopoli. Vxor MARIA.

CONSTANTINVS V. Copronymus cognominatus, quòd infans baptiſmi lauacro admotus, ſacrum fontem alui excrementis polluerat: magicis artibus ad inſaniam vſq; deditus, nullo ſcelere abſtinuit: non Chriſtianus, non Græcus, non Hebræus; ſed omnis impietatis lerna & ſacrilegus: λείψανα ſanctorum combuſſit, omnes, qui ſententiæ ipſius refragabantur, atrocibus ſuppliciis affecit: Artabaſdum primæ nobilitatis hominem, ab Orthodoxis Imp. deſignatum, oculis priuauit: Bulgaricum bellum variante fortuna terra mariq; geſſit. Tandem poſtquam variam paſſim crudelitatem exercuit: Adrianopoli elephantiæ morbo periit XIIX. Kal. Octobris A. C. 775. ætatis ſuæ LVI. Imperii XXIV. menſe tertio.

ANNA in matrimonio fuiſſe credita ARTABASDI, primariæ nobilitatis viri: quem tumultu populari Auguſtum appellatū, Copronymus poſt biennium captum, oculorum vſu cum geminis filiis, Niceta & Nicephoro, priuauit A. C. 743. IV. Non. Nouembris.

Liberi eius

ex IRENE CHAZARA, F. Chagani Regis Bulgarorum, vxore prima	MARIA Armena ἄπαις.	*ex EVDOXIA vxore tertia.*

LEO

LEO IV. cognomento Porphyrogenitus, paterni sceleris atque Imperii hæres: patrē nō modò in delendis imaginib. strenuè est imitatus: sed &, quū gemmis admodū delectaretur, magni pō-	NICEPHORVS	CHRISTOPHORVS	NICETAS	ANTHIMVS, Kal. Maii A. C.773.	EVDOCIMVS, XIIX. Kal. Maii A. C.776.
	III. Non. April. A.C.769.				

Cæsares à patre creati: omnes à Constantino VI. fratruele, oculis, quidam etiam lingua priuati: cœnobiisque inclusi sunt XIII. Kal. Nouembris A.C.780.

deris & precii coronam è templo Sophiæ subtraxit: cauillo vsus, Christum pauperem, non gemmas probasse. Vnam omnino in Syria contra Saracenos expeditionem fecit: sed qua magis irritauit, quàm repressit hostes. Leui enim certamine inde repulsus domum rediit: paulóque pòst ardenti febre correptus, impium exhalauit spiritum VII. Id. Septemb. A.C.780. Constantinopoli sepultus. Vixit annos sesquitriginta vnum, dies XLII. imperauit quinquennio, demtis quinque diebus. Vxor IRENE Attica, fœmina singularis prudentiæ, & excelsi animi, at summæ in regnando libidinis: marito extincto, Imperium pro filio puero administrandum suscepit: à quo expulsa, paulò pòst à ciuibus ab exilio reuocata, & in pristinum statum restituta: sola regno præfuit annos quinque, menses duos, dies sedecim. Amicitiam tandem Caroli Magni expetens, apud suos in odium incurrit: & expulsa demum à Nicephoro, in Lesbo insula exul diem supremum clausit V. Id. Sextil. A.C. 803.

CONSTANTINVS VI. Imp. maiorum suorū vestigiis fortiter inhærens: sanctorum reliquias conspuit, conculcauit, dissipauit: matrem regno deturbauit: Nicephorum, Imperatorii & ipsum stemmatis, in quem multorum suffragia tacitè inclinabant, oculorum & linguæ vsu priuauit. Et ne quid sceleris deesset; MARIA Armena, vxore legitima, in monasterium detrusa: fingens venenum sibi abs ea fuisse paratum, quod tamen ipsemet subornauerat: THEODORAM concubinam superinduxit, matris consilio. Quo eius astu omnibus inuisus factus: per insidias ab ea captus, oculisque erutis in carcerem est coniectus: vbi maternæ contumeliæ impatiens, præ luctu & mœrore breui expirauit, annos natus plus minus XXXIV.

LEO matre Theodora natus, infans periit.	EVPHROSYNE similiter matre Theodora genita, nupsit Michaeli Balbo Imp.



XVII.
NICEPHORI.

STAVRACIVS Patricius Byzantinus.

NICEPHORVS Irene dolo capta, & in insulam Lesbum relegata, Orientis Imperium occupauit prid. Kal. Nouemb. A. C. 802. coronatus à Tharasio Patriarcha: pacem cum Carolo Magno ab Irene constitutam seruauit, Italia illi concessa; Venetis legibus propriis vti permisit, socialique eos classe aduersus Gallos iuuit: Apolloniam immissa classe partim viribus, partim fraude captam diripuit. Bello contra Persas infeliciter gesto, in Bulgaros mouit: emuncturus scilicet argentum, quò pactam de pace Persis pecuniam exsolueret, sed à quibus post aliquot insignes de illis partas victorias, pacis ipse impatiens, ad Hadrianopolim Thraciæ cum toto exercitu miserabiliter obtruncatus est XIII. Kal. Augusti A.C. 811. quum annos imperasset octo, menses totidem, dies viginti. Vir truculentus, nullóque explebilis auro. Cranio eius deargentato Crumnus Bulgarorum Rex pro poculo vsus est in conuiuiis. Vxor MARIA.


STAVRACIVS à patre in Imperii societatem ascitus; saucius in Bulgarorum bello vix fuga elapsus: Imperium quidem iniit, sed quod dies tantùm LXXVII. retinuit. Etenim III. Non. Octob. A.C. 811. ob corporis deformitatem, ingenii stoliditatem, & turpem libidinem, à Senatu Imperio deiectus, clericum profiteri est coactus, nec multo pòst viuere desiit III. Id. Ianuarii A.C. 812. Vxor THEOPHANIA Attica.

PROCOPIA *vxor* MICHAELIS CVROPALATIS, *cognomento Rangabis*: qui sororio exacto, Græcorum IMP. à Nicephoro Patriarcha coronatus: fœdera cum Francis, soceri exemplo, renouauit. Vir in toga quidem bonus: sed in rebus bellicis admodum socors, timidus, & infelix: à quibus adeò abhorruit, vt ad vnam aduersam cum Bulgaris pugnam ad Hadrianopolim, ita conciderit: vt accepto nuncio de Leonis imperio, præ dolore monachum induerit in insula Prote, V. Id. Quinctil. A.C. 813. quum imperasset annum vnum, menses nouem, dies sex.

THEOPHYLACTVS Cæsar à Leone VI. Imp. abscissis genitalib. in exilium missus A.C. 813.

IGNATIVS Patriarcha Byzantinus à Theodora Theophili Imp. matre ad dignitatem illam euectus: quum Bardam Cæsarem ob incestas nuptias anathemate innodasset: abs eo in Mitylenen insulam est relegatus.

Filia ἀνώνυμος nupsit Ioanni Ciliciæ & Teisterbantiæ Duci.



XIIX.

LEONIS ARMENII.

PARDVS Patricius Constantinopolitanus.

LEO ARMENIVS, exercitus Orientis Præfectus; magno omnium gaudio, maiore spe, rei Romanæ impositus: & à Nicephoro Patriarcha coronatus: Vir fuit acer & industrius, sed crudelis & malus. Ante imperium Saracenos, in imperio Bulgaros Thraciam deuastantes, magnis affecit cladibus. Ab armis quies quum esset: ad cædem multorum conuersus: Theophylactum quoque, Michaelis F. mutilatum ea parte, qua vir erat, vnà cum matre in exilium egit. A Michaele tandem Thraulo noctu per insidias, dum sacris operatur, multis vulneribus confossus est IIX. Kal. Ianuarii A.C. 820. quum annos imperasset sesquiocto, sedecim demptis diebus. Vxor in monasterium detrusa: filii in exilium pulsi sunt.



XIX.

MICHAELIS BALBI.

MICHAEL, quod linguæ vitio balbutiebat, Θραῦλος siue BALBVS cognominatus; ortus Amorii Phrygiæ superioris oppidulo, loco humili & sordido: sublato Leone, cuius beneficio ad multos euectus fuerat honores, Imperium arripuit IIX. Kal. Ianuarii A.C. 820. coronatus à Theodoro Melisseno Patriarcha. A puero corruptis moribus institutus; & Iudæorum regionis illius secta contaminatus: Christi religionem, quantum potuit, subuertere studuit. Quanto autem acriùs Christianos oppressit; tanto plus Iudæos tributorum ac vectigalium immunitatibus alleuauit. Quin etiam, quum Copronymum tanquam præclarum sanctitatis exemplum sibi imitandum suscepisset: ad extremum impietatis euasit: futuram resurrectionem negans: diabolum nullum esse contendens, quòd de eo nihil apud Mosem scriptum esset. Libidinosus insuper fuit, & ebriosus: & literis summè infestus. Thomam, qui exercitui Orientis præerat, rebellantem & tyrannidem inuadentem, tandem oppressit: & defectionis socios cum ipso sustulit. A Saracenis Cretam insulam inuadentibus, duplici prælio victus: dysenteria tandem periit, ad

quam

quam acceſſit phreneſis, Kal. Octob. A. C. 829. quum imperaſſet annos octo, mẽſes nouem, dies ſeptem. Vxores habuit duas: TECLAM matrem Theophili: & EVPHROSYNEN F. Conſtantini Iconomachi:

THEOPHILVS Imp. coronatus ab Antonio Caſſimita Patriarcha: vir iuſtitia & aliis naturæ bonis memoratu digniſſimus: imaginum cultores, vt idololatras, acerrimè inſectatus: non paucos ad mortem vſque cædi iuſſit. Vrbem muniuit, & ornauit magnificè: mœnibus, quæ collapſa erant, inſtauratis, & altiùs eductis. Contra Saracenos, Aſiæ prouincias deuaſtantes, quinquies profectus, ductoribus Theophilo & Manuele: bis victor rediit, ter ſuccubuit. Amorio, vnde illi genus, in poſtrema eius expeditione, ab hoſtibus proditione capto & exciſo: quum captiuorum quoque redemptionem ab illis impetrare neutiquam poſſet: præ doloris magnitudine ab omni cibo abſtinuit: & ſola frigidæ potione contentus, dyſenteriæ morbo periit XIII. Kal. Februarii A. C. 842. regnationis ſuæ duodecimo completo, cum tribus menſibus & viginti diebus. Vxor THEODORA Paphlagonia, Marini & Theoctiſtæ Florinæ filia, marito defuncto, imaginum cultum reduxit: Imperiúmque cum filio impubere annos adminiſtrauit quatuordecim: à quo tandem monaſterio eſt incluſa.

MIÇHAEL III. IMP. aui quàm patris ſimilior, prodigus, libidinoſus, ebrioſus, ſtolidus, impius, omníque flagitiorum genere contaminatiſſimus: matrem Theodoram, quæ ipſi puero Imperii conſors adiuncta fuerat, in monaſterium detruſit: Bardam auunculum crudeliter necauit: relictam in ærario à matre pecuniam, omnem in luxum, crapulas, ludos, mimos, & alios id farinæ homines effudit. A Saracenis bis caſtris eſt exutus. Ludis Circenſibus plus nimio indulgens: Baſilium Macedonem, cuius opera in domandis, & ad curſum atque aurigationem exercendis equis, fuerat vſus; conſortem Imperii adſciuit: tradita ipſi in vxorem concubina ſua EVDOCIA: à quo non ita multo pòſt vino madidus occiſus eſt IX. Kal. Maii A.C. 867. poteſtatis ſuæ XXV. Sepultus Chryſopoli.	MARIA vxor Alexii Cæſaris.	PVLCHERIA.	ANASTASIA.	ANNA.	TECLA.

XX.

ROMANI LECAPENI.

THEOPHYLACTVS Abaſtactus, Armenius: vir ignobilis & obſcurus.


ROMANVS LECAPENVS à Leone Philoſopho Imp. claſſis Drungarius ſiue Præpoſitus conſtitutus: ſancto iuramento, nunquam ſe Conſtantino Imp. eius filio vel inſidias ſtructurum, aut regnum affectaturum promiſerat. Sed non multo pòſt, Zoe Conſtantini matre à gubernatione remota: perfidus hic nequam, Imperium & ſibi & filio Chriſtophoro vindicauit: regióque ſe diademate ornari fecit. Nec multum quoque abfuit, quò minùs Conſtantinum in ordinem penè redegiſſet. Regni tandem anno XXVI. quum Bulgaricum bellum infeliciter geſſiſſet: à Stephano filio captus, imperio exutus, & inſulæ Prothi incluſus eſt, vbi proximo anno, qui eſt æris noſtræ 948. ſupremum diem obiit. Vxor THEODORA deceſſit X. Kal. Martii A.C. 940.

HELENA vxor Cõſtantini VII. Imp. à filio cœnobio incluſa, in ſummo luctu deceſſit.	CHRISTOPHORVS Cæſar, coronatus à Nicolao Myſtico Patriarcha: pa	STEPHANVS	CONSTANTINVS.	THEOPHYLACTVS Patriarcha Conſtantinopolitanus.	BASILIVS nothus.
		Cæſares à patre creati, imperarunt cum ipſo & Conſtantino VII. annis plus minus XXIII. Ægrè hi ferentes, ſe iuſta patris ſeueritate à iuuenili leuitate coerceri: cum de Palatii ſolio			

trem morte præuenit A. C. 931, potestatis ſuî decimo. Vxor SOPHIA.

ROMANVS Iunior Lecapenus, ab auo Auguſtus dictus, à Stephano Patriarcha coronatus eſt A. C. 922.	Filia ἀνώνυμος vxor Petri Bulgarorum Principis.

deturbatum inſulæ incluſere. Quum idem in Conſtantinum, quod in patrem molirentur: in foueam, quam fecerant, incidêre. Etenim ab ipſo comprehenſi, & in inſulas relegati ſunt A. C. 948. Stephanus quidem Mitylenen, vbi vndevigeſimo poſt anno obiit: Conſtantinus verò in Samothraciam: vbi ſeditionem mouens, miſerè periit.



XXI.

BASILII MACEDONIS.

BASILIVS Macedo, obſcuro & ignobili genere ortus: venalis inter captiuos Conſtantinopolin adductus; à Michaele Imp. in eam fortunæ magnitudinem euectus eſt: vt ab Imperatore primum teneret locum. Quo demum per inſidias confoſſo, Imperium vni ſibi adſciuit: cuius mox profuſiſſimas largitiones ita reuocauit: vt dimidium earum, quæ quis accepiſſet, iterum ærario inferret. In Saracenos Cretenſes profectus: nauali ab eis prælio fuſus: mox inſtaurata claſſe denuo eos aggreſſus, alieno ductu vicit. Hoc bello confecto, mouit in Saracenos Syriacos, Dalmatiam populantes: quos Raguſio recuperato, Nicephori Phocæ ductu expulit. Cæterùm Scythas & Ruſſos ad Chriſtianam fidem perduxit; ex Iudæis item multos, ſed hos duntaxat largitionibus. In venatione tandem ictu cerui periit poſtrid. Kal. Martii A. C. 886. quum annos imperaſſet vndeuiginti, demtis diebus III. Conſtantinopoli ſepultus. Vxor EVDOCIA filia Inceris, olim Michaelis III. concubina.

CONSTANTINVS Cæſar obiit ante patrem: cuius ille vidēdi cupidus, monachi cuiuſdam præſtigiis eius ſpectrum vidit & amplexatus eſt.	LEO VI. à domo, in qua in lucē fuit editus, cui purpura nomen dedit, appellatus Porphyrogenitus: patri in Imperio ſucceſſit, coronatus à Photio Patriarcha.	ALEXANDER viginti natus annos, à Leone fratre ſucceſſor in Imperio dictus:	STEPHANVS Patriarcha Conſtantinopolitanus.	Filiæ IV. innominatæ, à patre ſacris initiatæ.

Princeps optimus, pius, literarū omnium eruditus, Philoſophiæ tamen ſtudiis inprimis deditus: vnde & PHILOSOPHI cognomen inuenit: ꝓmulgauit Βασιλικῶν, hoc eſt, legum ab Impp. latarum libros LX. In Repub. etiam adminiſtranda admodum ſolers: noctu mutata veſte ex regia egreſſus: vigilum fidem & candorem explorare ſæpenumero eſt ſolitus. Bulgaros violata pace deficientes, ſuis & ſociis Turcorum armis repreſſit: quamuis ſemel ab eis per inanes inducias deluſus, magnam cladem acceperit. In Saracenos dehinc, Siciliam populantes, claſſe comparata: Nicetæ ductu, egregiam victoriam peperit. Extremè quum Imperio præfuiſſet annis XXI. tribus menſibus, totidémque diebus: morbo cœliaco fatigatus, Imperio fratri per manus tradito, animam Deo reddidit prid. Non. Iunii A. C. 908. Fuere in eius connubio, THEOPHANIA, quæ & Stephania, F. Martinacii Patricii, cuius nomini templum dicauit: inde ZOE F. Zanzi Stiliani, antea

& à Nicolao Myſtico Patriarcha coronatus: nec patri nec fratri ſimilis fuit: vir luxu & ignauia perditus: qui rebus grauioribus omiſſis, tantùm venationibus, helluationibus, petulantiæ, libidinibus indulſit. Multo vino potus, ſanguine è naribus & pudendis erumpente, animam ſimul euomuit: porci inſtar iugulatus ſua ingluuie, poſtrid. Non. Iunii A. C. 909. quum amplius biduo Imperium tenuiſſet annum vnicum. Conſtantinopoli ſepultus.

antea eius concubina: tum EVDOCIA Opsiciana, in partu cum fœtu extincta: vltimo ZOE Carbonepsia, qua natus

CONSTANTINVS VII. Porphyrogenitus, septennis à patre sub matris & nobilium quorundam tutela relictus: Romano Lecapeno socero cum filiis in ordinem redacto: ipse rem Imperii per annos vndequadraginta satis prudenter administrauit. Beneuentum Longobardis extorsit: tyrannos aliquot oppressit: Turcarum principes non paucos Christiana pietate imbuit. Princeps ipse patris auiq; æmulus: Musarum patronus optimus: à literis optimisque disciplinis non abhorrens: quas penè extinctas ab interitu vindicauit. Ex haustu infecti poculi, quod ipsi filius adornarat, ingentibus totius corporis doloribus correptus: his aliquantulum sedatis, secessit in montem Olympum: vbi totum se Deo cultuiq; diuino addicens, Imperii cura deposita, decessit v. Id. Nouembris A. C. 959. sexagenario minor biennio. Vxor HELENA Romani Lecapeni F. à filio cœnobio inclusa, in summo luctu vitam finiit.

ROMANVS cogn. Iunior, Senioris ex filia nepos: Imperio post patrem suffectus, alieno id arbitrio rexit annos tres, menses quatuor, dies sex. Homo à patris virtute alienissimus, omnium ignauissimus: luxu & otio perditissimus, in parentes pariter & sorores impiissimus: quippe qui patrem veneno tollere non dubitauit: matrem autem & sorores, imperialibus ornamentis exutas, in cœnobium inclusit. Cæterùm duce Nicephoro Phoca contra Saracenos in Creta, & Turcos in Asia rem feliciter gessit. Ipse domi libidinibus & crapula confectus, veneno etiam potionatus, obiit Idib. Martii A. C. 963. ætatis suæ XXIV. Constantinopoli sepultus. Vxores habuit duas: BERTHAM F. Hugonis Regis Italiæ ἄπαιδα extinctam: & THEOPHANIAM, sordidi generis fœminam, patre caupone natã: quæ Imperium sub tutela filiorum vsq; ad Nicephori, cui postmodò nupsit, electionem administrauit menses tres, dies XVII.

Filiæ ἀνώνυμοι à fratre vestitu regio exutæ, regiáque eiectæ, ob dolorem, impudicitię se reddidere: & meretricium quæstum sunt amplexę.

BASILIVS II. Imperio, quo à Nicephoro Phoca exactus erat, recuperato: Bardam Sclerũ eius inuasorẽ, post binos terra mariq; infelices cõflictus; duce tandẽ Phoca Barda, acie victũ ad Persas fugere cõpulit; ipsum Phocã, recẽtis victoriæ insolẽtia ad res nouas aspirantẽ, oculis priuauit: filios ei⁹, patris fortunã vlturos, oppressit, altero cæso, altero capto. Inde in Bulgaros itũ: quos quotidie tumultuantes, magnis & pluribus præliis tandẽ superauit: nouoq; crudelitatis exẽplo, quindecim millibus ex eis captis, oculos eruit: in singulis centuriis vno relicto monoculo, qui dux itineris esset sociis domũ redeuntib. Ampliatis Imperii terminis, obiit pridie. Kal. Octob. A. C. 1027. ętatis suæ LXXII. Imperii LII. Princeps acer & bellicosus: sed tyrãnide, auaritiã, & subdola calliditate infamis. Vxor ANNA Blandimeri Ducis germana.

CONSTANTINVS IIX. in Imperium, quo à Nicephoro Phoca erat expulsus, Ioannis Zimiscæ sororii beneficio restitutus, dignitatis potius, quàm potẽtiæ cum fratre fuit particeps: quippe qui eo viuo Imperii res neque attingebat, neq; curabat: gulæ tantùm & veneri obnoxius, venationi mancipatus, ludos & theatra ad insaniam amplexus. Post fratrem Imperio solus potitus ętate iam fractus, otioq; effœminatus: per summam væcordiam & luxuriã ita se gessit: vt obscurissimis & barbaris hominib. eius curam omnem demandaret. Decessit septuagenari⁹ pridie Id. Nouemb. A. C. 1030 Constantinopoli sepultus. Vxor HELENA Alipii prædiuitis viri F.

THEODORA nupta IOANNI ZIMISCÆ, qui Nicephoro Phoca obtruncato Imperium arripuit IIX. Kal. Ianuarii A. C. 970. coronatus à Polyeucto Patriarcha. Clarus ipse iã anteà militari laude: cum Suendoslao Roxolanorum rege bella gessit grauissima: quibus Bulgaria omni exactis, Imperio eam adiecit: & vrbes Asię defectionem moliẽtes vi in fide retinuit. Ab hac expeditione cum triumpho reuersus: breui veneno hausto, lenta tabe cõsumtus est Byzãtii A. C. 977. mense Iulio: post annũ potestatis suæ sesquiseptimum.

THEPHANIA vxor Othonis II. Imp. Germanici.

ZOE Imperatrix mulier procacissimæ & intemperatissimæ libidinis: obiit septuagenaria A. C. 1054. Vxor trium IMPP.

THEODORA mortuo Constantino Monomacho sola rerum potita, omnia in sua potestate habuit: virilique animo bona pace Imperii fasces rexit fermè biennio. Ex tenuis intestini morbo defuncta Constantinopoli prid. Kal. Septembris A.C. 1057.

EVDOXIA virginem egit Vestalē.

1\. *ROMANI ARGYROPYLI antè vrbis Præfecti Eum Constantinus senex tabe confectus, tanquam omniũ nobilissimum, qui gener eius & Imperii hæres esset, delegerat; optima de eo omnium spe: quam sub initia nequaquam frustratus est. Fuit namque Græcarum literarum, doctrinæ legũ, Philosophiæ, ac rerum plurimarum cognitione excellens: fuit natura moderatus: multa in melius mutauit, summa liberalitate in omnes vsus. Verùm quum Saracenica Asiæ parum ex sententia illi cessisset: moribus repentè mutatis, totum se ignauiæ ac pecuniæ colligendæ dedit: multa indigna imperatore agens: nec multo pòst, ZOÆ vxoris insidiis, & Michaelis Paphlagonis adulteri dolo, in balneo aquis est suffocatus* VII. *Kal. April. A.C. 1035. Imperauit annos quatuor, menses totidem, dies* XIV.

2\. MICHAELIS PAPHLAGONIS: de quo paulo pòst.

3\. CONSTANTINI *Monomachi. Hic beneficio ZOÆ Imperatricis in torum adscitus, ad Imperiúmque euectus: laborum & ærumnarum, quas in exilio sustinuerat, pertæsus: totum se ventri veneríque dicauit: concubinam egregia alioqui forma iustæ vxoris loco habuit: gubernationis consilia omnia ad Zoæ vxoris affectus voluntatémque inflexit. Duo tamen grauissima bella domestica sustinuit; alterum à Maniace, alterum à Leone Tornicio illata; externa contra Roxolanos & Bossinos, Scythicum genus hominum, multa gessit. Hinc prima labes: hinc ob eius ignauiam res pessum ire cœpere. Podagra demum mirè excruciatus, & pleuritide correptus, periit prid. Kal. Decemb. A. C. 1055 quum annos regnasset bissenos, menses quinque, dies vndeuiginti.*

XXII.
PHOCARVM.

PHOCAS Scythici limitis præfectus, per Mauricii cædem Imperium adeptus: magnam de se initiò spem præbuit, quòd homo esset militaris, verùm omnes fefellit opinio. Longè enim auariùs Mauricio colligendæ vndique pecuniæ incubuit, tributa longè tenaciùs exegit, magistratus & iudicia vendidit: Persico more omnia disposuit, stipendia militibus debita parcissimè exoluit. Itaque à coniuratis, miserè omnibus membris mutilatus; truncúmque corpus in æneo tandem tauro combustum est vi. Kal. Aprilis A.C. 611. Homo socors, ignauus, adulter & parricida nefarius, Imperii pestis. Hic ille est, qui à Bonifacio III. Pontifice solicitatus; vrbem Romam eiúsque episcopum, totius esse ecclesiæ caput, sanxit.

Ex hac gente, num sequens familia Phocarum orta sit, incertum.

NICEPHORVS PHOCAS in Sicilia contra Saracenos res egregias gessit, imperante Basilio Macedone.

LEO PHOCAS ex legionum domestico, tyrrannidem Constantinopoli contra Constantinum VII. & Romanũ Lecapenum arripuit A.C. 921. sed non longè pòst captus, oculis & dignitate priuatus est.

BARDAS PHOCAS, à filio Nicephoro sub Imperii illius limine Cæsar creatus, breui superstes fuit.

LEO

Leo Phocas, haud dubiè nobilissimus: sed de quo nihil accepimus.

Bardas Phocas contra Ioannem Zimiscem Cappadociæ ab exercitu Orientali Cæsar dictus, sed à Ioanne victus, & in Chium insulã relegatus, monachum induit. Restitutus à Basilio Imp. aduersus Bardam Sclerum, imperii inuasorem, rem præclarè gessit. Cuius victoriæ insolentia ad res nouas aspirãs, à Basilio acie victus captúsque, & prope Abydum occisus est.

Nicephorus Phocas.

Xyphias Phocas, Nicephorus Phocas, Genitoris fortunam vindicaturi, armis Basilii Imp. & ipsi oppressi sunt, alter cæsus, alter captus.

Nicephorus Phocas militum electione Imperium Orientis adeptus; illico in Saracenos, Siciliam occupantes, classem instruxit; ipse in eosdem, Asiam deprædantes, exercitum duxit. In Sicilia res per duces acta haud benè cessit, ipse Ciliciam & magnam Asiæ partem lætis auspiciis recepit; mox Antiochiam noctu aggressus, pulsis Saracenis, Imperio subdidit. Cęterùm quàm bellica re fortunatus, tam domi fuit infelix. Etenim dum socordiæ & auaritiæ inexplebili sese manciparet, subditos bellorum prætextu degluberet atque expilaret, numismata adulteraret, ac pondus imminueret, in omnium incurrit odium: vnde facilè à Ioanne Zimisce, vxoris suæ Theophaniæ, olim Romani Iunioris viduæ, malitia noctu in cubili trucidatus est III. Id. Decembris A. C. 971. ætatis suæ LVI. Imperii fasces tenuit annos octo, menses quinque, dies nouem. Constantinopoli sepultus.

*

A Phoca IMP. *stemma quoque ducit* NICEPHORUS BOTONIATES, *qui exacto Michaele Duca, imperauit annis tribus, diebus octo. A Comnenis fratribus Imperio & ipse exutus, monachorum sumsit habitum A. C. 1081. Kal. Aprilis.*




XXIII.

MICHAELIS PAPHLAGONIS.

Michael Paphlago ignobilissimus, mancipium barbarum; nec re vlla, nisi forma Zoæ Imperatrici commendatus, & inter cubicularios Romani Argyropyli receptus, eo aquis suffocato, à Zoa adultera in thori & regni communionem assumptus; non malum omnino egit principem. Nam & tricennales cum Calipha Ægyptio Sultano pepigit inducias, & Edessam ab Arabum obsidione liberauit, & in Sicilia Saracenos ductu Georgii Maniacis fortiter debellauit. Domi verò in suos facilis admodũ & beneficus fuit, vni Zoæ propter expertam libidinem parum æquus. Septimo imperii anno intercutis morbo laborare incipiens, in monasterium Anargyrorum in suburbio Byzantii se abdidit, vbi diem obiit IV. Idib. Decembris A. C. 1042. successore nominato, & à Zoa adoptato, suo ex sorore nepote

Michaele Calaphate, illud cognominis adepto, quòd parentes ipsius apud Paphlagones pice naues oblinerent. Vir hic crudelis, consiliis dolosus, lingua inconstans, mendax, ad quamlibet auram mobilis, voluptatis quin etiam mancipium: rem susceptam auarè & crudeliter administrauit menses tantummodò quatuor, dies quinque. Ingratissimus enim in omnes, Ioannem Orphanotrophum suum auunculum primò eiecit: consanguineos inde cæteros membris genitalibus priuauit: Zoen ipsam in insulam relegauit. Populo id indignissimè ferente: Zoe restituta, ipse oculis erutis in exilium est deportatus XI. *Kal. Maii A. C. 1053.*



XXIV.

CONSTANTINI DVCÆ.

ANDRONICVS DVCAS.

CONSTANTINVS DVCAS, Senatus populique consensu, Isaacii successor declaratus: Reipub. prudenter satis præfuit annis septem. Vir iustitiæ quidem & pietatis opinione celebris: sed ingenio tardus & hebes: & ob nimium corradendæ pecuniæ studium suis inuisus; hostibus verò imperii res vndique vexantibus ludibrio fuit. Excessit Constantinopoli A. C. 1067. Non. Iunii, sexagenarius. Vxor EVDOXIA ob ingruentem vndique vim hostium iurisiurandi oblita, quo marito morienti viduitatem spoponderat, vt Imperium filiis impuberibus conseruaret: virum sibi delegit ROMANVM Diogenem, filiis non improbantibus.

IOANNES DVCAS, à fratre Cõstantino creatus Cæsar: à Parapinaceo coactus, monachum induit.

ANDRONICVS DVCAS patrueles strenuè adiuuit in Imperio recuperando.

IRENE vxor Alexii I. Imp.

MICHAEL DVCAS à fame, quæ sub ipso inualuit, Parapinaceus cognominatus: ad Imperiũ minimè aptus: duobus eunuchis rerum cura tradita, studiis tantùm literarum, & versibus factitandis vacauit. Quare quum Turcarum & Sultanorum armis circumquaque premeretur: coactus à Nicephoro Botoniate abdicauit VII. Id. Aprilis A.C. 1078. post annum Imperii sextum: & in solitudinem cum vxore MARIA Alana secessit; factus monachus in monasterio Studii: & mox metropolites Ephesi creatus, obiit in cœnobio Manuelis.

ANDRONICVS Cæsar à Michaele fratre relegatus.

CONSTANTINVS DVCAS Cæsar, coactus à fratre abdicauit A.C. 1075. Imperium contra Nicephorum Botoniatẽ arripiens: Chrysopoli in Asia prælio captus, & in monasterium est detrusus circa A. C. 1079.

CONSTANTINVS DVCAS à patre in imperii societatem adscitus: imperauit cum ipso, Nicephoro Botoniate, & Alexio Comneno annis plus minus septem. Coactus à Comneno abdicauit: nec longè pòst Dyrrachii in prælio contra Robertum Guiscardum Normanniæ ducem, fortiter pugnans cecidit A. C. 1084. Vxor HELENA F. Roberti Pr. Normannorum in Calabria & Apulia.



XXV.

ROMANI DIOGENIS.

DIOGENES domi militiæq; clarus, tyrannidis affectatæ reus, seipsum præcipitauit.


ROMANVS DIOGENES, Eudoxiæ Imperatrici in thori & regni communionem datus: & à Ioanne Xiphilino Patriarcha coronatus: imperauit cum Augusta & Cæsaribus triennio, cum octonis mensibus, duodecim diebus. Vir fortis & strenuus, paternæ laudis æmulator: bis cum Turcis conflixit. Ac prior quidem expeditio in barbaros istos, Asiam vastantes, vario rerum successu ab ipso administrata: altera funestissima fuit, Romano milite vel fugato vel cæso; & ipso Imperatore, equo ex lethali vulnere collapso, ab hostibus capto. Sed à quibus honorificè habitus atq; dimissus: vbi domum reuertisset, &

ſet, & bellum fruſtra pararet: à Senatu captus, oculiſque priuatus, & in inſulam Proten exulatum miſſus eſt: vbi haud multo pòſt, quum vulneris cura negligeretur, capite toto intumeſcente ac verminante, expirauit A.C. 1071.



XXVI.

COMNENORVM.



Familiæ ἔκφρασις.

Isaacivs Comnenvs Conſtantinopoli claris natalibus ortus; vir in obeundis negotiis ſtrenuus & expeditus, pace & bello infractus, moribus arrogantioribus: Patriarchæ auxilio Michaelem Stratioticum, ob ſenium ad imperandum minus idoneum, Imperio exuit: mox in auctorem beneficii odio concepto, eum Patriarchatu depoſitum, in exilium miſit. Bellum geſſit cum Vngaris & Boſſinis: quibus vtriſque pacem petentibus, inducias conceſſit: non exigua perpeſſus detrimenta à cœli & tempeſtatum inclementia. Tertio Imperii anno inter venandum lateris morbo oppreſſus; quum de ſalute deſperaret, cucullam induit, & in monaſterium Studienſe conceſſit: ſucceſſore tamen prius de Senatus populique voluntate nominato Conſtantino Duca A.C. 1060. Ex Maria vxore ſex ipſi nati liberi:

Alexivs I. Imp. de quo mox plura. *Isaacivs Sebaſtocrator.* *Hadrianvs Protoſebaſtus.* *Nicephorvs Sebaſtus.* *Anna vxor Michalis Taronitis.* *Maria vxor Nicephori Meliſſetii.*	*Nicephoro Botoniate amoto, Imperium inter ſeſe partiti ſunt fratres Comneni, ea lege: vt titulum Imperii vſurparet, & exerceret poteſtatem Alexius: alter Iſaacius vocaretur σεβαστοκράτωρ nouo nomine: tertius Hadrianus πρωτοσέβαστος: Nicephorus minimus, σέβαστος: Michael Taronites ſororius, πανυπερσέβαστος: Meliſſetius alter ſororius, Cæſar: & cederent ſingulis ex Imperii reliquiis certi reditus annui: ne quid ſcilicet inter eos diſſidii ex ambitione & æmulatione exiſteret: quod familiam euerteret, Imperio nondum ſtabilito.*

Alexivs Comnenvs I. Hadrianopoli in Thracia contra Nicephorum Imp. appellatus: & Conſtantinopoli à Coſma patriarcha conſecratus prid. Non. April A.C. 1081. Imperii reditibus partitione illa inter fratres dilaceratis, ad rapinas & exactiones conuerſus, ſubditos immanem in modum expilauit: ædes ſacras fortunis exhauſit: pro aurea & argentea moneta æneam ſignauit. Ingenio fuit verſuto, vafro, auaro, hoſtis Latini nominis infenſiſſimus, bello infeliciſſimus. Etenim cum Roberto Viſcardo Normannorum duce ad Epidamnum manus conſerens, magnam cladem accepit. Amiſit in mari Chium, Lesbum, Samum & Rhodum inſulas: quas Turci occuparunt duce Zachabo, ſubacta littorali Aſia. A Boſſinis quoque victus, pacem turpiſſimam ab eis

est mercatus: parte suæ ditionis ad Moglenem eis attributa. Venetis armis adiutus, Gallorum memorabilem illam expeditionem, contra Turcos & Saracenos duce Gotefrido Bilioneo susceptam, quam suspectam semper ab initio duxerat, perturbare conatus est. Huic tamen fortunæ illa aduersitas multa postea in natura & moribus correxit: in mitem siquidem & æquum principem, singularémque musarum atque orphanorum euasit nutricium. Diuturno tandem & graui morbo defatigatus, decessit septuagenarius XIIX. Kal. Septemb. A.C. 1118. quum imperasset annos triginta septem, menses quatuor cum dimidio. Constantinopoli sepultus: ex IRENE, Ioannis Ducæ Cæsaris nepte relictis tribus filiis, totidemq; filiabus: quorum

IOANNES, *quem quidam* CALOIOANNEM *appellant, patre iam animam agente, matre regnandi cupida licet renitente, Imperium occupauit: ab ipsomet patre multo ante obitum eius tempore Augustus dictus, & à Nicolao Grammatico Patriarcha consecratus. Patre & victoriis bellicis & opibus longè fuit superior, & vir melior. In Asia Turcos & & Persas, in Europa Scythas felici bello repressit: Tartaros Thracia & Macedonia expulit: Hunnos ad Saui Istríque confluentem prope Belgradum profligauit: Syriam vastauit. In Ciliciæ tandem finibus, vbi tum bellum gerebat, dum aprum insectatur, sagitta venenata leuiter digitum dextræ saucius, memorabili exitu periit mense Aprili A. C. 1143. regiminis sui* XXV. *Corpus Constantinopolim translatum, ibidemq; inhumatum. Ex* IRENE *Hungarorum Regis filia, liberos genuit quinque:*

ALEXIVM, viuo patre Augustum designatum, sed qui ipsum morte præuertit: filia superstite ἀνωνύμῳ, quam duxit Alexius Axuchius Contostephanus.

ANDRONICVM Sebastocratorem: qui & ipse viuo patre decessit; quinque liberis procreatis

IOANNE *Protosebasto, genitore*

MARIÆ in matrimonium collocatæ Amalrico Regi Solymorum.

ALEXIO *Protosebasto & Sebastocratore.*

MARIA *vxore primum Theodori Dasiotis, pòst Ioannis Cantacuzeni.*

THEODORA, *scorto Manuelis Imp. sui patrui.*

EVDOXIA *vxore Michaelis Gabræ, & concubina Andronici Imp.*

ISAACIVM COMNENVM Sebastocratorem, à patre, ceu minùs Imperio idoneum, reiectum. Nati ipsi ex THEODORA vxore

ALEXIVS πρωτοσέβαστος.

THEODORA *vxor Balduini* III. *Regis Solymorum, scortum Andronici Imp. Byzantini.*

MARIA *nupta Stephano fratri Geizæ Regis Hungariæ, peperit ipsi Isaacium Cypri tyrannum.*

Tertia ἀνώνυμος *Constantino Macroducæ Panypersebasto est collocata.*

MARIAM nuptam Stephano Batazi Contostephano.

MANVELEM COMNENVM, patris quidem in regno successorem: sed qui totus à paternis virtutib. degenerauit. Quippe in quo nullus Dei cultus, nulla reuerentia fuit: qui ingenii leuitate multa in doctrina ecclesię perturbauit: qui Europæis principibus, Solymam repetentibus, panem gypso tabefactum per summum scelus vendidit: qui Venetorum legatos, & in his Henricum Dandalum, contra omne fas in vincula coniecit: nec nisi indignis habitos modis dimisit. Vnde non immeritò perfidus iste à Rogerio Siciliæ rege oppugnatus: omni ora Græciæ vastata, Corcyram, Thebas, Corinthum & Chalcidem amisit. Cum Turcis quoque bellum gessit funestissimum: in quo penè captus est. Demum quum astrologiæ peritissimus haberetur: sibique multos adhuc vitæ & imperii annos, sponderet, & totius Orientis imperium animo agitaret: subitò religione tactus vir sceleratus, & Reip. Christianæ perniciosus: imperio, cui triginta octo fermè præfuit annis sponte relicto, vitæ se monasticæ mancipauit: nec multò pòst morbo periit sexagenarius V. Non. Octobris A.C. 1180. Vxores habuit duas: BERTHAM filiam Gebhardi Comitis Sultzbachii, sororem germanam Gertrudis, quæ vixit in coniugio Conradi Imp. Germanici: & CONSTANTIAM (alii Mariam nominant) filiam Raimundi Principis Antiocheni, sermonis Latini peritissimam. His nati

MARIA *ex priore matrimonio, post obitum Belæ Alexii, filii Geizæ Regis Vngariæ, mariti primi; nupsit* Reinerio *filio Gulielmi Marchionis Montisferrati: qui à socero mutato nomine Ioannes dictus, & Cæsar nobilissimus est creatus A.C.* 1180.

ALEXIVS II. *ex posteriori connubio, duodecennis patri in Imperio successit. Andronicum callidum & impium tutorem testamento sibi à patre relictū, infestissimum habuit: quippe à quo libidine regnandi excæcato, quindecim annos natus, quum tres à patris morte rerum potitus esset, clam miserè excruciatus; & neruo arcu eliso immaniter stran-*

strangulatus: capiteq; truncato reliquum cadauer culeo insutum, in mare proiectum est A. C. 1183.

ALEXIUS nothus, matre THEODORA patruele natus, consiliorum Andronici Imperium affectantis conscius habitus: ab Isaacio Angelo in cœnobium montis Papynacei est detrusus.

ISAACIUS COMNENUS, Sebastocrator, fratri Caloioanni apprimè carus, genuit

ANDRONICUM COMNENUM, qui Alexio cognato perfidè sublato, Imperium inuasit: desponsatámque illi AGNETEM, Ludouici Regis Francorum F. in vxorem duxit: coronatus à Basilio Comatero Patriarcha. Quò autem tyrannidem stabiliret: proceres omnes, quorum suspectam virtutem habebat, breui interfecit. Vir namque fuit fraudulenta calliditate, & lupina sæuitia nulli secundus: ideóque meritò omnibus inuisus. Quare quum bello à Gulielmo Siculo, impuberis Alexii cædem iniustam vindicaturo, vndique premeretur: tandem ab Isaacio Angelo, quem ad supplicium corripi mandauerat, præter suam omniúmque opinionem Imperio est deiectus: captusq;, & altera manu oculóque mutilatus, asinæ præposterè impositus: capite alliorum reste, diadematis loco, præcincto; bestiæque cauda manibus pro sceptro alligata, spectaculum factus mundi: turbæ vulgique tumultu lacer periit pridie Idus Septembris A. C. 1185. Præter duas vxores AGNETEM Francam, & alteram ἀνώνυμον, quatuor habuit concubinas: EUDOXIAM Andronici, THEODORAM Isaacii Comnenorum filias: PHILIPPAM sororem Principis Antiocheni Petebini, & MARAPTICAM. His nati

JOANNES Imp. designatus.
MICHAEL Sebastocrator.
MARIA.
} *nulla sua culpa oculis capti: paternæ crudelitatis & tyrannidis pœnas ipsi quoq; expiarunt.*

ALEXIUS nothus, matre Theodora genitus: viribus Orientis irruptione Francicâ dissipatis, quum alii alias Imperii prouincias bello assererent; contractis copiis, quantas maximas potuit, inuasit Colchidem: nouúmque Trapezuntii imperium constituit.

IRENE notha, eadem matre Theodora genita.

IOANNEM COMNENUM Apostatam.

ANDRONICUS Sebastocrator, genitor ex ANNA vxore

ANDRONICI.

MANUELIS Sebasti.

ANNA nupsit Nicephoro Bryennio, Cæsari Orestiadensi, Macedoni.

MARIA Nicephoro Catacloni, filio Phorbini Cataclonis, πανυπερσεβάστῳ in matrimonium collocata.

THEODORA nuptum tradita Constantino Angelo Philadelphiensi.



XXVII.
ANGELORUM.

CONSTANTINUS Angelus Philadelphiensis. Vxor THEODORA, Alexii Comneni I. Imp. Constantinopolitani F.

ANDRONICUS ANGELUS post cladem ad Characem, ab Andronici Comneni Imperio inhiantis militibus acceptam; quum Byzantinis suspectus esset, quasi ex amicitia Andronici, rem de industria peius gessisset: filiorum impulsu, qui omnes viri cordati & manu strenui erant, domum suam in exteriore Cionio sitam firmare præsidiis instituit. Sed quũ aduersariis resistere par non esset: mutato consilio, cum familia se ad Andronicum contulit. Vxor EUPHROSYNA soror Theodori Castamonitæ.

IOANNES Sebastocrator.

CONSTANTINUS ANGELUS.

Filia ἀνώνυμος nupta Ioanni Ducæ Sebastocratori.

ISAACIUS ANGELUS præter omnium spem, vtpote suppliciis iam destinatus, rerum summa potitus: prudenter se sub initia gessit; crudelitatem, auaritiam, rapacitatem & σπανοδωρίαν suã egregiè dissimulans. Clas-

ALEXIUS ANGELUS I. à Turcis captus, sed à fratre magno auri pondere redemptus: homo planè impius & ingra-

Filiæ duæ.
THEODORA vxor Cõradi Cæs. Marchionis Montisferrati.

sem ad recipiendam Cyprum frustra comparauit: cum Valachis bellum infeliciter gessit: Fridericum Barbarossam ad Hellespontum aditu Asiæ prohibiturus; aduersis aliquot præliis fractus, inita cum eo amicitia, progredientem commeatu iuuit. Domi, quum annos fermè decem imperasset, occultis suorum cõspirationibus petitus: à germano suo, quem magno à Turcis redemtum, in regni consortium adsciuerat, per magnum scelus exauctoratus, erutisq; oculis in vincula coniectus est IV. Id. April. A.C. 1195. Inde Venetorum & Francorum armis liberatus: quum aeris repentinam mutationem ferre nequiret: paulo pôst interiit A.C. 1204. mense Ianuario. Vxor altera MARIA sterilis, Belæ Vngarorum Regis F. postmodò nupsit Bonifacio Marchioni Montisferrati. Ex priore autem ἀνώνυμοι ipsi nati

t Balduino I. Imp. Constantinop.

ALEXIVS ANGELVS II. Venetorum & Gallorum armis adiutus: Alexium patruum, mortem sibi machinatum, Imperio deiecit: idque sibi patríque iterum asseruit. Sed nõ multo pôst Ab Alexio Duca Murziphlo dolosè captus: in carcere crudeliter strangulatus est v. Kal. Febr. A.C. 1204. ætatis suæ XIV.

IRENE nuptum collocata Philippo Imp. Germanico.

tus: fratre imperio oculísque priuato nec non in teterrimũ carcerem coniecto, Imperium rapuit: quod annos tenuit octo, menses tres, dies decẽ. Constantinopoli tandem A.C. 1203. Kal. Augusti à Balduino Flandro & Venetis expugnata: nocte concubia, auectis secum Imperii thesauris, Debelatum profugit: nec multo pôst in hostium manus illapsus, cum vxore EVPHROSYNE exul in Germaniam est actus: vbi & vitam finiit.

Altera ἀνώνυμος nupsit Ioanni Cantacuzeno IMP.

EVDOXIA nupsit ALEXIO DVCÆ, ob coniuncta supercilia MVRZVPHLO cognominato: qui cæso Alexio Iuniore, Imperium occupauit: coronatus à Ioanne Camatero Patriarcha A. C. 1204. Verũ eodẽ anno vrbe Byzãtio amissa, in Peloponneso à Francis Venetísque captus, & Constantinopolim retractus, per summam ignominiam & cruciatus miserè periit.

IRENE vxor Andronici, pôst Alexii Palæologi.

THEODORA vxor Theodori Lascaris.

XXIIX.

BALDVINI FLANDRI.

BALDVINVS Hannoniæ Comes, ex antiqua Flandriæ Comitũ, Balduini scilicet Montensis & Richildæ prosapia ortus: ducta in vxorem MARGARITA, Theodorici Landgrauii Alsatiæ filia, sorore germana Philippi, vltimi ex ea familia Comitis Flandriæ: Flandriæ Comitatum, quamuis valde decurtatum (Atrebates namque cum fano Odomari, Ludouico Galliæ Regi, quî cum pro Comitatu isto, bello decertabat, cedere fuit coactus) iterum Hannoniæ coniunxit: longúmque bellum, quod fuit inter Hannonios & Flandros, sustulit.

BALDVINVS Comes Flandriæ & Hannoniæ, capta Constantinopoli post Murziphli tyranni fugam, XV. virûm suffragio IMP. creatus; & à Thoma Mauroceno Veneto Patriarcha corona donatus: illico promotis castris versus Occasum, & Thraciæ vrbibus partim vi expugnatis, partim in deditionem acceptis, Adrianopolim obsidione cinxit. Qua adhuc durante, Imperii anno

*

HENRICVS Hannoniæ & Flandriæ Comes, audita Balduini fratris morte, Augustus Constantinopoli consecratus A. C. 1206. XIX. Kal. Sept. mox Adrianopolitanam repetiit obsidionem: sed quam, Bulgaris à direptione Macedoniæ reuersis, pace facta ite-

†

ISABELLA vxor Philippi Adeodati Regis Galliæ, obiit A. C. 1189.

SIBYLLA nupsit Gerardo Comiti Lucelburgio.

vix cir-

vix circumacto, à Bulgaris & Scythis bello petitus: cum hoste ad Orestiadis planiciē infeliciter congressus XV. Kal. Maii A. C. 1205. Ternobium captiuus deductus est: vbi insequenti anno in vinculis miserè periit, annos natus XXXIII. Vxor MARIA, Henrici Comitis Campaniæ F. neptis Ludouici VII. Regis Franciæ.

IOANNA nupta Ferdinando, Sanctii Lusitaniæ Regis filio: qui pro Flandria cūm Rege Galliæ grauissima gessit bella.

MARGARITA Comitissa Flandriæ & Hannoniæ, nupsit Bochardo Comiti Auiniēsi: & hoc defuncto, Gulielmo Dampetræ Burgūdo.

† rum soluere coactus est. Ducta itaque Bulgari Principis filia (prior siquidem vxor N. filia Petri Comitis Namurcensis, iam in fata concesserat) exercitum Constantinopolim reduxit, vrbémque muniuit: relictóque ibi præsidio Thessaliam adiit. Inde reuersus, rebus cunctis ordinatis & dispositis, intempestiua morte decessit A. C. 1216. exeunte.

PETRVS, BALDVINVS, Ante patrem mortui.

IOLANTA Petro Comiti Antisiodorensi nupta; propter quam ille Imperiū quasi iure hęreditario adiit.

XXIX.

PETRI ANTISIODORENSIS.

☞ *De hac familia fusiùs explicata, consule Stemma Capetorum Regum Galliæ in stirpe Vitichindea.*

LVDOVICVS VI. FRANCORVM Rex in Gallia, bellis cum Henrico V. Cæsare, & Henrico I. Angliæ Rege nobilitatus: obiit sexagenarius Kal. Sextil. A. C. 1137. Sepultus Parisiis in Dionysiano. Vxor ALEXIA Humberti Moriennæ Comitis in Sabaudia F.

LVDOVICVS VII. Rex Galliæ in Asiatica contra Saracenos expeditione summam Græcorum perfidiam expertus: condidit Reges Gallię, de quibus alibi.

PETRVS Cortenæi Dominus factus ratione vxoris ISABELLÆ, filiæ Reginaldi, Cortenæi & Montargiæ Domini; expeditionem transmarinam suscepisse legitur A. C. 1179.

ROBERTVS Druidensis Comes, Britanniæ Duces condidit: de quibus alio loco.

PETRVS Cortenæus, Comes Antisiodorensis, vxorio iure innixus (quando mascula proles nulla superetat) ab Honorio Pontifice ad Laurentii fanum Romæ Imperii insignia accepit. Inde rediens, Dyrrachii oppugnatione frustrà tentata: à Theodoro Lascare, qui se Adrianopolitanum ac Græcorum Imperatorem dicebat, simulata pace in Thessaliam comiter euocatus; medio conuiuio obtruncatus est, imperii anno quinto.

ROBERTVS Cortenæus, Archipincerna Franciæ.

GVLIELMVS Cortenæus, Tanlæi Dominus.

Liberi eius

ex AGNE, Comitissa Antisiodorensi & Niuernensi,

MECHTILDIS Comitissa Niuernensis & Tonnerensis, domina Antisiodorensis: nupta Hermerio domino Cosnæ ad Ligerim: & inde Guidoni Comiti Fecensi.

ex IOLANTA Flandriæ Comitissa Henrici Imp. F.

ROBERTVS ex Galliis accersitus, Imperium patris successione excepit A. C. 1221. fortuna haud sanè ipsi arridente. Sponsam enim vnius è suis purpuratis proceris Burgundi quum rapuisset, matre puellæ conscia: Burgundus id ægrè ferens, cum domesticis in regiam irrupit; nares puellæ abscidit; matrem matrimo-

PHILIPPVS Comes Namurcēsis, ἄπαις mortuus.

nii noui conciliatricem, proximum in mare demersit. Quàm iniuriam Imperator vindicaturus: Roma, quò inaugurationis causa profectus erat, rediens in Achaia morbo decessit, anno Imperii septimo.

BALDVINVS II. patri suffectus, quum per ætatem ad Imperium minus esset idoneus: adiutor ipsi datus est Ioannes Breunius Rex Hierosolymitanus: conciliatis inter ipsum, & filiam illius MARTHAM nuptiis. Quo extincto, solus Imperium gessit, atque tandem amisit. Nam prævalentibus Græcorum armis; Venetis oppignorato filio omnibúsque templorum donariis, ingentem exercitum ad Bosphori fauces obiecit. Sed bello perseuerante, & Palæologo ingentis animi viro instante: in fugam se vertere, & in suos fines redire est coactus. Constantinopoli breui ab eodem capta: nocturna trepidatione excitus, rapta supellectile, clam ad Euripum sese proripuit: naui inde in Eubœam delatus: quum annos imperasset triginta tres. Ex quo Græci statum pristinum recuperarunt A.C. 1261.

ELISABETH ab obitu Gualtheri Comitis Barrensis, nupsit Eudo Domino Montis acuti in Burgūdia.

PHILIPPVS à patre Græcorum armis presso, ob accepti æris mutuum Venetis oppignoratus: se quidem Imperatorem Græciæ scripsit: eam autem non possedit. Vxor BEATRIX F. Caroli I. Regis Siciliæ.

IOANNA nupta Thomæ Sabaudo.

CATHARINA vxor Caroli Valesii, à Bonifacio IIX. Pp. Rom. Imperatrix Constantinopolitana consecrata.



XXX.
LASCARINORVM.

THEODORVS LASCARIS contra Balduinum Flandrum Niceæ Imperatorem se fecit: Epirum & Dyrrachium occupauit: quò Petro Antisiodorensi Roma in regnum reuerteti iter præcluderet: quem postea per insidias interceptum, toto biennio in tetro squalidóque carcere fatigatum & penè enectum; tandem comite rinuitatum, medio conuiuio perfidè obtruncauit. Bello idcirco à Gallis lacessitus atque fugatus: filiam Nicenis seruandam tradidit: sed non sine multis precibus: nam portas ipsi clauserant. Interim manu collecta, Adrianopolim recepit: vbi diem suum obiit sexagenario minor biennio A. C. 1222. regni sui XIIX. Vxor THEODORA, Alexii Angeli fratricidæ F.

IRENE in matrimonium collocata IOANNI DIPLOBATAZIO, *siue Batazæ*: qui Imperium Hadrianopoli à socero per manus accepit: coronatus à Germano Patriarcha A.C. 1222. Cum Michaele Angelo notho Theodori Thessaliæ Regis è fratre nepote, pacem firmauit: Thessaliam & Ætoliam ipsi concedens, Despotæ, non Regis nomine. Irene mortua, nouarum affinitatum appetens, spe auxiliorum, nuptias ambiuit ANNÆ sororis Manfredi Regis Siciliæ. Hadrianopoli exactus, diu exul, profugus, & sine certo fuit lare. In Zacyntho tandem insula obiit sexagenarius A. C. 1255. regiminis sui XXXIII.

THEODORVS LASCARIS Iunior, matre Irene genitus, apud Zacynthum Imperii titulum extra patriam tenuit non amplius triennio: coronatus ab Arsenio Patriarcha. Obiit A.C. 1257. ætatis suæ XXXVI. Vxor HELENA Asanis Bulgariæ principis F.

IOANNES LASCARIS, natus 1252. THEODORVS LASCARIS


A patre morituro, Michaeli Palæologo viro in armis strenuo cōmēdati: ab eo postmodò per summum scelus iugulati: vitam cum Imperio amisere A.C. 1262.

MARIA viuo patre, Nicephoro Thessalo elocata.

THEODORA nuptum tradita Constantino III. Bulgaro.

IRENE Vigintimilio Genuensi mercatori à Palæologo nubere coacta.

THEODORA altera Belicurto mercatori nubere coacta à Palæologo.



XXXI.

PALÆOLOGORVM.

1. Michael Imp.

2. Andronicus Senior IMP. — Constantinus. — Eudoxia.

(of 2.) 3. Michael. — Constantinus. — Filiæ duæ. — 7. Theodorus. — Ioannes. — Demetrius.

(of 3.) 4. Andronicus Iunior IMP. — Filia. — Manuel.

(of 7.) Iolanta — 8. Ioannes.

(of 4.) 5. Ioannes IMP. — Manuel.

(of Manuel) Filiæ duæ.

(of 8.) Otho. — Gulielmus. — Margarita. — 9. Theodorus II.

(of 5.) Andronicus — 6. Manuel IMP. — Theodorus.

(of 9.) 10. Iacob. Ioannes. — Sophia.

(of Andronicus) Ioannes.

(of 6.) Ioannes IMP. — Andronicus. — Manuel. — Theodorus. — Demetrius. — Thomas. — Constantinus IMP.

(of 10.) Ioannes III. — Gulielmus VI. — Bonifacius VI. — Filiæ duæ.

(of Andronicus) Theodorus.

(of Thomas) Andreas. — Manuel. — Filiæ duæ.

(of Ioannes III.) Theodorus.

(of Gulielmus VI.) Filiæ duæ.

(of Bonifacius VI.) Gulielmus VII. — Ioannes Georgius.

(of Gulielmus VII.) Bonifacius VII. — Filiæ duæ.

Familiæ ἐκφρασις. enarratio

1. MICHAEL PALÆOLOGVS, natus patre Andronico, matre Irene Alexii Angeli filia: ob fortitudinem & peritiam rei militaris, à Theodoro Lascari Imp. Adrianopolitano filiis relictus tutor: Venetis & Gallis Byzantio eiectis, pupillos iugulauit: Imperiúmque sibi & posteris per summum nefas vendicauit. Vir vehementis spiritus & bellicosus: ambitionis inexhaustæ fideíque dubiæ, consilii tamen expediti atque circumspecti; quo se suósque in turbato & lacero Imperio magis, quàm virtute, conseruauit. Cum Michaele Angelo, Epiri & Ætoliæ Despota postquam infelici sidere dimicasset: pacem cum ipso fecit ignominiosam: (nemini siquidem in Imperio parricidiis acquisito, nec satis confirmato, tutò fidebat) Maria sua consobrina filio eius Nicephoro in vxorem tradita. Genuensibus ob auxilia præstita contra Venetos, Peram ciuitatem concessit. Inde quum in Lugdunensi concilio, concordiæ leges, à Pontifice Romanò in detrimentum ecclesiarum Græcarum latas, sine suorum consensu accepisset: tantam & Imperio perturbationem, & sibi apud suos conflauit inuidiam: vt honor sepulturæ mortuo sit denegatus. Post mortem namque, quæ ipsi accidit A. C. 1283. inhumatus bestiis est obiectus. Annos vixit duodesexaginta: imperauit XXXIV. Tres genuit filios:

Andronicum Seniorem IMP.

CONSTANTINVM *Porphyrogenitum, bellatorem acrem & industrium: ab Andronico fratre, ob falsam suspicionem affectati regni carceri mancipatum. Hic in Lydia Turcos secundis aliquot præliis fortiter repressos detinuit: ne proferre limites Imperii possent.*

EVDOXIAM *Ioanni Lazo Imp. Trapezuntino nuptam: cui filius Alexius regni causa bellum intulit.*

2. ANDRONICVS Senior, patris in Imperio successor; vir ignauus, stolidus & infelix: in Magnesia contra Turcos milite Tartarico; in Asia contra Catalanorum reliquias Thrace milite parùm prosperè conflixit. Extremam senectutem satis difficilem habuit: exagitatus dissidiis filiorum, & nonnullis in se conspirationibus ac molitionibus. Quum enim Michaele filio extincto, Constantinum Despoten iuniorem ad Imperii successionem inuitasset: à nepote Andronico Iuniore, Genuensium auxilio, Imperio deturbatus, & in monasterium detrusus est: quum imperasset annis XLIII. Obiit mœrore septuagenarius pridie Idus Februarii A.C.1332. Duæ ei fuere vxores: ANNA Vngarica: & IRENE siue IOLANTA Montisferrati Marchionissa, Ioannis F. mulier ambitiosa & factiosa: quæ quum natos proprios Michaele priuigno anxiè anteferre conaretur: mariti ab se animum alienauit: à quo quum acciperetur duriùs: metu sæuitiæ Thessalonicam secedens, ante ipsum obiit.

Liberi Andronici:

Michael IMPP. *Byzantinos propagauit.*

CONSTANTINVS *Despota, variis sese libidinibus contaminauit: cætera ignobilis.*

Theodorus Marchiones Montisferrati condidit.

IOANNES *quarto anno à nuptiis, celebratis cum filia Nicephori præfecti Camiclii, magni nominis apud Andronicum viri, orbus liberis decessit.*

BONIFACIO *elocata* SOPHIA *F. Eduardi I. Comitis Barrhi.*

DEMETRIVS.

SIMONIDES *nuptum missa Seruiæ Regi.*

IRENE *notha, vxor Ioannis Angeli nothi, Thessalorum Principis, effreni & vafro ingenio iuuenis: qui Byzantios bello lacessiuit: Macedoniam & Thraciam rapinis infestauit: sed post tertium nuptiarum annum moriens, hærede nullo relicto; Angelorum principatui in Thessalia, Epiro, & Aetolia finem fecit.*

3. MICHAEL matre Vngarica natus: à patre in Imperii consortium adscitus: Ioannem Angelum sororium, bello Byzantios lacessentem, persecutus, tollere tamen non potuit: quòd ille subsidiis Italorum niteretur, qui Eubœam, Atticam, & Bœotiam subegerant. Genitorem morte antecessit: ex MARIA Armeniaca vxore tribus susceptis liberis:

Andronico Iuniore IMP. *Constantinopolitano.*

MANVELE *Despote: qui Byzantii noctu, dum fratrem Andronicum, dissolutiùs & luxuriosius viuentem, inquirit: à speculatoribus per imprudentiam (quippe quem riualem Imperatoris esse putabant) lethaliter sauciatus periit, magno cum dolore aui. Duas habuit filias:*

ANNAM primùm Thomæ Epiri & Ætoliæ principi; pòst Thomæ Comiti Cephaleniæ, prioris consobrino & parricidæ, nuptam.

THEODORAM Sphendislao Bulgarorum Principi sociatam.

Filia ἀνώνυμος, *ab Andronico fratre in matrimonium collocata Michaeli, Bulgarorum Despotæ: priore illius coniuge Seruiæ Regis sorore adhuc superstite.*

4. ANDRONICVS Iunior, proditionum ope ac parricidii scelere in Imperium irrepsit: auo, quî cum sex annis & amplius bello vario & ancipiti conflixerat, insidiosè tandem circumuento, atque oppresso: coronatus ab Esaia Patriarcha. Aduersus hostes Romani nominis multa præclarè gessit: Turcorum auxiliis Mitylenos & Phocenses oppugnauit: Thessaliam secunda expeditione totam subegit, accepto in deditionem principe. Multis itaque victoriis clarus: febre capitisque dolore intra quadriennium confectus: decessit XVI. Kal. Quintil. A. C. 1431. vndequinquagesimo: postquam fasces Imperii ab aui excessu rexit annos tredecim, dies XXII. Ex vxore ANNA Alemanna reliquit

IOANNEM IMP. } *quos fidei Ioannis Cantacuzeni vnà cum regno commisit. Hic* CAN-
MANVELEM } TACVZENVS *Apocauci viri obscurissimi, sed vafri, fraude in exilium trusus iniuriæ illius impatiens, quinquennali bello viduam matrem & Ioannem filium exercuit: & Byzantio tandem proditione potitus, Imperatoriam potestatem ac dignitatem vsurpauit, non excluso tamen consorte Ioanne: à quo pòst bello petitus, imperio abdicato in monasterium sese abdidit.*

5. IOANNES PALÆOLOGVS, Ioannis Cantacuzeni tutoris & soceri potestatem exosus: Genuensium cum auxiliis Imperio exturbauit: cuius dignitate & amplitudine recuperata, Italiam adiit, comparaturus auxilia contra hostes: sed ibi contumeliosiùs acceptus, Byzantium rediit. Quum autem bellis Bulgaricis & Seruianis magis magísq; vrgeretur: turpe fœdus cum Amurathe Turca iniit: adeò vt & se & Imperium in fidem eius traderet, promisso tributo, quod constituisset: & Theodorum filium natu minimũ obsidem daret, qui castra sequeretur. Cæterùm postquam magna sui ignominia & detestatione, maiore Reipub. pernicie, solus Imperium tenuit annos XXXII. ab Andronico F. Baiazetis auxilio regno erepto, in tetrum conclusus est carcerem A. C. 1389. Tres autem eius memorantur filii:

ANDRONICVS PALÆOLOGVS apud patrem maiestatis accusatus, quòd cum Amurathis filio in cædem eius conspirasset: visu priuatus est, feruido aceto in oculos infuso. Quod molestè ferens, ad Baiazeten quanquam cæcutiens profectus, per hunc patri regnum eripuit: ipsúmque vnà cum fratre Manuele carceri mancipauit. Ab hoc tertio pòst anno è vinculis elapso, iisdem artibus est excussus, & cum filio vinctus in curiam missus A. C. 1392. Fuit is

IOANNES, matre IOANNA natus: ab Manuele patruo Imp. nauigationem in Italiam suscepturo, ad corrogandam in belli sumptus contra Baiazeten pecuniam, nec non à Regibus Occidentis auxilia petenda; reconciliatis voluntatibus, regno in illius absentia præfectus: id ab eius quoque obitu fermè sesquiquadriennio administrauit.

Manuel Palæologus IMP.

THODORVS obses à patre patre datus Amurathi Turcæ: à Baiazete huius filio, Cantacuzenis extinctis, Peloponneso est impositus. Byzantio à Turcis obsesso, Argos vrbem & Nauplium Venetis; Spartam Rhodiis vendidit. Sed hæc ad Palæologos rediit: Argos deleuerunt Turci.

6. MANVEL Palæologus, Andronico fratre iisdem deturbato artibus, quibus ille patrem submouerat: regnum à Baiazete his obtinuit conditionibus; vt tres myriades aureûm numûm annuatim penderet: Philadelphiam, cuius obsidio & oppugnatio frustrà aliquoties tentata erat, traderet: Baiazeto fidelitatis iuramentum & obsides daret: copias auxiliares Turcis, vbicunque & quandocunque opus foret, adiungeret. Sed hæc infidi Tyranni erga Manuelem beneuolentia diuturna non fuit: quippe qui non multò pòst Byzantium satis dura obsidione pressit; quam tamen improuisa irruptione Tamberlanis Scythæ soluere est coactus. Obiit autem Manuel A. C. 1422. imperii sui trigesimo: ex HELENA coniuge Turcica, vidua Regis Trapezuntini, septem relictis filiis:

IOANNE Imperatore Byzantino post Ioannem patruelem annis viginti quatuor: principe pacis & concordiæ, quàm belli, auidiore. Neque enimuerò fortasse quicquam conari potuit, circumsept usvndique atque conclusus ab hostibus, & omni propemodùm exutus potentia. Inuitatus ab Eugenio Pontifice, concilio Florentino interfuit, inde reuersus domum non diu superuixit. Fuit in eius matrimonio SOPHIA, Theodori II. Marchionis Montisferrati F.

ANDRONICO Thessalonicæ, potentis Macedoniæ vrbis, Domino; quam siue odio fratris Ioannis, siue ex desperatione vendidit Venetis, & in Peloponnesum profectus, fratrũ beneficio Mantinæam possedit. In elephantiasin incidens, filium

THEODORVM commendauit Theodoro Porphyrogenito fratri: spe successionis in Peloponneso: quum liberis ille careret.

MANVELE, de quo certi nihil traditur.

THEODORO Porphyrogenito Principe Peloponnesi, sed qui eo ducatu non contentus, Amurathe arbitro, fratri Ioanni de Imperio iam deplorato, conatu planè furiali, litem intendit. Instaurato ex quadratis lapidibus hexamili muro in Isthmo, duo maria, Io-

nium & Aegeum, ad sinus duos Corinthiacum & Megaricum coniunxit, atque ex ea parte Turcis aditum terra ad Peloponnesum interclusit. Corinthum dotis nomine obtinuit; ducta in vxorem filia Reinerii Florentiae è familia Acciaiolorum oriundi, Principis Corinthi, Thebarum, & Athenarum. Ab Amurathe Turca cum omni Graecorum exercitu repentina clade obrutus occubuit A.C. 1444.

DEMETRIO *Peloponnesi Rege, quem aduersus Albanos Turcicis auxiliis vindicauit; pro quo beneficii annuatim illis* XV. *millia aureûm numûm soluit. Tandem dedidit sese & Spartam Mahometi.*

THOMA *Peloponnesi duce, qui capta Constantinopoli, & Peloponneso amissa, Romam venit; duobus filiis & totidem filiabus, secum adductis Horum*

ANDREAS Romae ducta meretrice in vxorem, vitam turpem & infamem egit.
EMANVEL ad victorem Mahometem reuersus, vitam in vinculis finiit.
HELENA Lazaro Seruiae Regi nupsit.
ZOE Ioanni, Magno Duci Moschouiae nupta, peperit Helenam coniugem Alexandri Regis Polonorum.

CONSTANTINO PALAEOLOGO, *Graecorum Imperatore vltimo & infelicissimo. Hic ante Imperium cum Turcis fortiter saepe conflixit in Peloponneso & Thessalia: vnde & ob ferociam, qua in hostes ferebatur, Draconis cognomen acceperat. Sed Heraclea ab Amurathe expugnata, adeò animo consternatus est: vt omnis sui roboris immemor Turcis tributum dederit. Constantinopoli post quinquagesimum obsidionis diem vi & armis à Mahomete expugnata: quò honestiùs occumberet, inter confertissimos hostes dimicans est caesus* IV. *Kal. Iunias A.C. 1453. quum triennium, totidémque menses Imperium tenuit. Quidam tamen eum fugientem in ipsis portae angustiis cecidisse, fugientiumque trepidatione oppressum scribunt. Vrbe ab immanissimis & nefariis Turcis capta, in rapinas est itum: non dignitas, non aetas, non sexus quenquam protexit, stupra caedibus, caedes stupris additae: nullae scelerum facies defuere. Constantini Imp. caput per ludibrium pilo affixum, & in vrbe circumgestatum, vxor eius & filia, & quicquid regii sanguinis superfuit, aut inter epulas iugulatae, aut victoris libidini reseruatae sunt.*

7. THEODORVS Palęologus, Andronici Senioris Imp. Byzantini ex IOLANTA F. ab auunculo Ioanne Marchione Montisferrati suę familię vltimo, hæres & in principatu successor dictus: Astâ ditioni suæ adiecit. Ex vxore Genuensi, è Spinularũ gente, pgnata, sustulit

Ioannem in principatu successorem.

IOLANTAM *vxorem Amedei* V. *Comitis Sabaudiae, defuncti A.C. 1342.*

8. IOANNI Marchioni Montisferrati, principi ingenio manúque strenuo, nati ex vxore N. sorore Iacobi Regis Maioricensium

OTHO *Marchio Montisferrati: cuius in matrimonio sterili vixit* VIOLANS, *Galeacii Vicecomitis Mediolanensis F.*

Thedodorus II. *Marchio stemma propagauit.*

GVLIELMVS *Marchio, caesus in pugna ad Nicopolim.*

MARGARITA.

9. THEODORVS II. Marchio Montisferrati, multa monasteria vel condidit vel reditibus ditauit: & ex duabus coniugibus, IANA Comitissa Barri, Roberti I. Ducis filia: & altera Saluzziarum Comitissa, genuit

Iacobum Ioannem Marchionem.

SOPHIAM *vxorem Ioannis Imp. Constantinopolitani.*

10. IACOBO IOANNI Marchioni Montisferrati, Præsidi Italiæ à Sigismundo Imp. constituto, ex IOANNA vxore, filia Amedei VII. Comitis Sabaudiæ, geniti

IOANNES III. *captus à Ludouico Duce Sabaudiae suo amitino A.C. 1434. cuius filiam MARGARETAM postea vxorem accepit, matrem ex ipso factam*

THEODORI Cardinalium albo à Paulo II. Pontifice Romano inscripti.

GVLIELMVS VI. *Marchio Montisferrati inuestitus à Friderico* III. *Imp. alienationes per ducẽ Sabaudiae factas annullante, & irritas habente A.C. 1464. Casalis monasterii & oppidi fundator: ex* ELISABETHA *Mediolanense, Francisci Sforciae filia, filias suscepit duas,*

IOANNAM &
BLANCAM MARIAM, quæ patruo Bonifacio VI. paternam renunciauit hæreditatem, & nupsit Carolo I. Duci Allobrogum.

BONIFACIVS

BONIFACIUS VI. *cognomento Senex fratribus in Marchionatu Montisferrati successit, inuestitus à Friderico* III. *Imp. A.C.1487. Ex* MARIA *Seruiæ Despotis filia duos reliquit filios:*

GULIELMUM VII. Marchionem Montisferrati, in ludis equestribus perpetuò victorem: vita defunctum A.C.1518. ex vxore MARIA, Gastonis Comitis Bearnii, Foxii, Bigorræ & Moncadæ filia, procreatis

BONIFACIO VII. *Marchione Montisferrati, adolescente in ludo Martiali extincto A.C.1530.*

MARGARETA vxore Friderici Gonzagæ, à Carolo V. Cæsare in primum Ducem Mantuanum consecrati A.C. 1530. ad quem Marchionatum Montisferrati hærede vacuum dotis nomine attulit.

Filia ἀνωνύμῳ Ludouici Marchionis Saluzziarum vxore.

IOANN. GEORGIUM, qui abbas quum esset, post mortem Bonifacii sui ex fratre nepotis, sacerdotio relicto, IULIAM Friderici Arragonii, Neapolitani quondam Regis filiam, vxorem ducere voluit: sed morte præuentus, & Palæologorum stirpem masculam terminauit: & Montisferrati principatum in aliam gentem transmisit A.C.1534.

AMEDEA nupta Ioanni, siue Iano Iacobo, Regi Cypri.

ISABELLA Saluzziarum Marchioni elocata.



IMPP. TVRCICORVM
FAMILIA.



Familiæ ἔκφρασις.

1. Ottomannus Orthogulis, ex Scythis Oguciis oriundi, F. vir acer, impiger, & calliditate singulari: aulæ sedem habuit iuxta Mysiam in vico Iteæ, quem Seguta patrio nomine vocant. Inde profectus, quum Imperium Asiæ ingenti spiritu sibi despondisset: plurima munita loca Ponti in deditionem accepit: & præter alias multas victorias, clarissimas quoque Asiæ vrbes; Nacaliam & Ancyram in Phrygia, Sinopen in Galatia, & Sebastiam Cappadociæ edomuit: quibus successibus terrorem ingentem & cognatæ gentis Principibus & Græcis intulit. Cæterùm postquam bellis assiduis per duodetriginta annos suam potentiam auxit atque stabiliuit: fato concessit A.C. 1327.

2. Orchanes Ottomanni F. natu minimus, reliquis duobus fratribus, qui inter se quoque discordes erant, cæsis; Tyrannidem militum fauore adeptus: acumine & ferocia expediti ingenii, elati animi fastu, calliditate & promptitudine consiliorum, & victoriarum cursu, patri nulla in re inferior: liberalitate & comitate illo quoque fuit superior: qua & militum animos mirificè sibi deuinxit: & ingentem vim hominum, licentiæ mi-

tiæ militatis cupidorum ad se pellexit. Mysia, Lydia, Lycaonia, Phrygia, & Caria subactis: limites noui regni ad Hellespontum vsque & Euxini littora propagauit; Nicæam & Nicomediam ferro; Prusiam Bithyniæ metropolin & Asiatici Imperii caput, fame expugnauit: Caramanno Turcæ qui Ciliciæ imperabat, ob potentiæ æmulationem bellum mouenti, bonam regni partem ademit; filio insuper in acie iugulato. Occubuit in conflictu cum Tartaris, multis suorum desideratis: quum rebus Turcicis præfuisset annos duos & viginti, A. C. 1349. Filios ex vxore, filia Ioannis Cantacuzeni Græcorum Imp. habuit duos:

Amurathen I. *patris in regno successorem.*

SOLYMANNVM *in patris Europæa expeditione, apud Chersonesi Isthmum extinctum, ibidemq́ terræ mandatum A.C. 1349.*

3. AMVRATHES I. Tyrannus Turcicus, à Ioanne Palæologo contra Græciæ proceres factiosos in belli societatem postulatus: maturè audaces & seditiosos illorum conatus repressit. In Europam inde transiens, ad reliquias belli persequendas, Callipolin in Chersoneso, & vicina aliquot Hellesponti oppida vi expugnauit: Thraciam mox assiduis excursionib. peruagatus, Philippopolin & Adrianopolin occupauit: frustrà Palæologo initū cum infido hoste fœdus & res perditas deplorante. Inde cōuersus in Marcum Bulgariæ, & Lazarum Seruiæ, in Mysia superiore & Triballorum regione Despotas; & aliquot Albaniæ in Dalmatia & Epiro proceres, qui vires coniunxerant: illis fusis ac deletis: à seruo Triballo, indignam necem Lazari Seruiæ Despotæ, sui olim patroni, ingenti animo vindicare auso, pugione transfossus est A. C. 1372. tyrannidis suæ XXIII. Vir nequaquam maiorum exemplo, vel animo ferox, vel manu promtus: sed bello & pace simulator egregius. Tres habuit filios:

IACVPPVM, *(quidam Solymannum nominant,) à Baiazete fratre peremptum.*

Baiazeten I. *Tyrannum Turcicum.*

SAVCEN *propter structas regni causa insidias, à patre excæcatum.*

4. BAIAZETES I. regnum auspicatus à fratris cæde; quò æmuli metu solutus, animo liberiore vrgeret propagationem Imperii aduersus Christianos: Prusia, Bithyniæ metropoli, relicta; imperii sedem fixit Adrianopoli. Inde confestim cum infesto exercitu in Mysos Triballósque (hodie Bulgaros Seruiósque à nouis colonis nominamus) profectus: Marcum Despotam occurrentem, cum vniuersa Bulgarorum atque Seruiorum nobilitate deleuit: totáque ea ditione subacta, hinc in extremam Illyrici regionem, quæ pars est regni Bosnæ, & Albaniam, adeóque ad ipsam Vngariam vsque, terribilibus excursionibus populabundus, nemine resistente, penetrauit: & impunè recessit, onustus ingentibus spoliis. Nec multo pòst Thessalia & Thracia ad Bosphorum vsque peruastata; Constantinopoli castra admouit: ad cuius obsidionem, à victoria ad Nicopolin de Christianis parta, illicò reuersus, penè non dubia spe expugnandæ vrbis; suburbia omnia dirutis ædificiis euastauit. Qua tamen obsidione iterum interpellata: à Tamerlane Scytha in Asiam procul abstractus: ad Stellam montem, Pompeii Magni de Mithridate victoria celebrem, acie cum eo infelicissimè conflixit. Etenim amissis suorum circiter CXL. millibus: & equo plurimis sagittis confixo captus: miserabile fortunæ ludentis spectaculum toti Asiæ præbuit. Nam catenis vinctus aureis, inq; cauea ferrea cancellata per Asiam circumductus, & passim ostentatus: victori equum ascendenti, dorso subdito, scabelli vsum præstitit. Sed & inter conuiuandum, Tamerlanem acerbissimè insultantem, & venationis studium barbarico truculentóque fastu exprobrantem, assiduè audiuit: & coniugem, Lazari Despotæ filiam, quam vnicè dilexerat, pocillatricis loco ad mensam famulantem spectauit. Finem tandem miseriarum mors ipsi attulit, altero à captiuitate anno: quum bella Turcica administrasset annos viginti sex. Præter ingentem & expeditam vim consilii & animi ad res gerendas, commendatur in ipso incredibilis in negotiis omnibus celeritas: propter quam Turcica lingua Hildrin, Græca κεραυνὸν, hoc est, cœli fulgur, eum cognominauerunt. Filii eius in Græcis historiis recensentur septem: quorum

* ORTHOBVLES *ad Sebastiam, quæ hodie Suias appellatur, à Tamerlane captus, & paulo pòst interemptus est.*

IOSVA procerum & copiarum, quæ superfuerunt, consensu principatum adeptus: à Mulsumane fratre, quem adiuuerunt Græci, acie victus: quarto à clade patris anno regnum & vitam perdidit A.C.1403.

MVLSVMANES parricidio tyrannide arrepta, parricidiali cum altero fratre Mose decertare bello perrexit: eúmque vicit auxiliis Ismaelis principis Sinopæ ex vetustis Turcorum familiis. Otio tandem & luxui deditus, imperio excidit: traditus ab exercitu fratri Mosi: à quo è viuis est sublatus circa A.C.1412.

MOSES à Tamerlane Scytha vnà cum patre captus, at dimissus: infeliciter cum Mulsumane fratre, nec ita multo pòst cum Mahomete quoque altero germano, manus conseruit. Vix enim suorum ope tyrannide potitus: propter sæuitiam & truculentiam mox illis inuisus redditus: ab eis desertus, & à Mahomete captus est: qui ei guttur chorda arcus elisit, vsitato genti barbaricæ supplicio.

Mahometes stemma propagauit.

MVSTAPHAS imperium ambiens, ac Turcos ad defectionem solicitans: tandem desperatione concessit ad Græcos, à quibus fratri Mahometi transmissus, non quidem supplicio est affectus; sed ad perpetuos carceres condemnatus. E quibus elapsus incidit in manus Græcorum, qui eum in Lemno asseruarunt, non arcta admodum custodia. A quibus postea dimissus, & auxiliis contra Amurathem fratruelē instructus: parum prosperè cum ipso decertauit, cuius postea in potestatem deueniens viuus; ipsi moti belli pœnas exoluit gutturis supplicio, chorda ex arcu elisa, A.C.1423.

IESVS baptismo Christianis sacris initiatus Byzantii, paulo pòst è vita excessit.

5. MAHOMETES I. Tyrannus Turcicus (quem Celebinum, Cyrum, & Cyricelebem quidam scriptores appellitant) à patris interitu, Prusiæ apud priuatum quendam hominem latuit: inde ad Alurium Caramannum, Ciliciæ principem, confugit, cuius, aliorúmque Asiæ atque Europæ principum opibus adiutus, Mosi fratri regnum eripuit: Mustapham verò alterum fratrem, idem ambientem, ad perpetuos carceres condemnauit. Vir bellicosus & felix; Valachos asperrimo bello attriuit: in Asia multa loca, à Tamerlane occupata, recepit: & plurimos Turcicæ nationis principes in Galatia, Ponto, Cappadocia, Cilicia, partim pulsos funditus extirpauit, partim compescuit: Sigismundum Cæsarem ad Columbacium, Seruianorum oppidum iuxta Samandriam, ingenti clade affecit. Adrianopoli, vbi imperii sedem habuit, fato absumptus A.C.1419. quum rebus Turcicis præfuisset annis XIV. duobus superstitibus filiis, quorum

Amurathes II. patri in tyrannide successit, & stemma propagauit.

MVSTAPHAS annum agens tertium decimum, & tunc apud Caramannum Cilicem exulans, sub cura Alibai Bassæ: à Græcis armatus, Nicæam Bithyniæ vrbem cepit, sed in qua oppressus à fratre, proditione sui curatoris; simili, quo alter Mustapha, supplicio vitam perdidit.

6. AMVRATHES II. Mustaphis fratri & patruo, imperii æmulis, sublatis: vim belli omnem in Græcos, à quibus illos incitatos & adiutos norat, conuertit. Peragrata itaque Thracia, acceptísque in deditionem vrbibus, quæ Byzantino Imperatori reliquæ erant: mox Thessalonicam, vrbem ad sinum Thermaicum, vi expugnatam & captam penitus diruit: inde Tomaro & Pindo montibus transcensis, continuo victoriæ cursu Phocidem cum Attica, Bœotiam, Ætoliam, Acarnaniam, & omnem citra Peloponnesum regionem vsque ad sinum Corinthiacum, incredibili celeritate perdomuit. Hinc Epiro in suam potestatem redacta: & Illyride, Albania, atque Bosna peruastatis partim, partim subactis: mouit in Bulgaros, Valachos, & Seruios, spe occupandæ Pannoniæ. Seruia potitus, tentauit oppugnationem Belgradi: at inauspicatò. Multis siquidem suorum amissis, quum insuper exercitus laboraret fame, & minitaretur defectionem, recipere sese coactus est, re infecta. Protinus tamen, cladibus aliquot suorum ab Hunniade acceptis irritatus; bellum Pannonicum totis viribus vrgere ac persequi cœpit: vbi primùm iniquiore fortuna vsus, pacis leges à Ladislao Rege Pannoniæ accepit, quē breui pòst, quòd violatis decennalibus induciis se absente prouincias Europæas inuaserat, commisso ad Varnam cruento prælio trucidauit: & detrimentū rebus Christianis summū attulit. Tantæ victoriæ prosperitate elatus, quò Græcos vlcisceretur, à quibus accitum esse Ladislaum cognorat, rectà Peloponnesum petiit: effractóque ad sinum Corinthiacum hexa-

mili

millimuto, Theodorum Palæologum, fratrem Imperatoris Byzantini, cum omni Græcorum exercitu repetina clade obruit. Extremè cum ingentibus copiis & mirifico tormentorum bellicorum apparatu tentans obsidionem vrbis Croiæ: à Georgio Castriota Scanderbeio detrimentis maximis affectus, & obsidionē soluere est coactus. Ad quod bellum reuersus quum itineribus ab Epiroticis interclusis, in reditu dimicare coactus, insignem suarum virium fecisset iacturam: iam ipse senex ab hoc infelici & irrito incepto vsque adeò acerbum ex metu & animi dolore contraxit morbum: vt è castris Hadrianopolim relatus, paucissimis diebus deliranti & vesano similis, vitam reliquerit A. C. 1449. quum annos regnasset XXXIV. vixisset LXXV. Filios reliquit tres:

Mahometen ex Georgii Seruiæ Despotæ filia genitum.

TURSINEM agentem mensem XIIX. Moses Bassa, iubente & immotis oculis atrocitatem facinoris inspectante Mahomete, multa vi aquæ obrutum suffocauit. Hanc immanitatem quum pueri mater horribili vlulatu planctuq́ detestata, Tyrannum præsentem diris deuouisset extremis: Tyrannus placaturus nouercam, mox in vltionem parricidii ei auctorem deposcenti ad supplicium, in manus vinctum tradidit, cui ipsa, Tyranno adstante, cor cultro transfixit: & rimata in dissecto cadauere epar, id inde extractum canibus laniandum obiecit.

CALEPINUM natum ex filia Sponderbei nobilis in Penderatia Satrapæ. Hic sextum agens mensem à patre commendatus est Halibassæ, magni apud ipsum nominis purpurato: sed à quo proditum puerum Mahometes strangulauit, quem & ipsum non multo pòst, gratiam sic ei redditurus, confictis criminibus atrociter accusatum, tanquam cum Christianis collusisset, pòst exquisitos corporis cruciatus strangulauit.

7. MAHOMETES II. regni à patre institutus hæres, ea lege, vt perpetuus ἐχθρὸς Christiani nominis hostis foret: maiorum exemplo administrationem rerum à parricidiis est auspicatus. Quúmque Imperium orbis terrarum ingenti animo & ausu sibi despondisset: adeò intentatum vlla ex parte reliquit nihil: vt insignibus barbaricæ feritatis ac sęuitiæ exemplis, & prodigiosis immanis audaciæ successibus, cunctos ante se Ottomannici sanguinis Tyrannos longè vicerit. Primum bellicorum operum eius terribile maximè fuit, Constantinopolis terra marique expugnata: & cæso Constantino Palæologo, antiquissimum Orientis Imperium euersum. Exinde oppugnationem Belgradi tentauit, tertio post captam Constantinopolim anno: sed infeliciter. In ea enim quum Hunniaden neutiquam viribus parem, sed incredibili ardore & alacritate suorum vrbem propugnantem, continuis & maximè cruentis duorum dierum præliis exercuisset: successu tamen & fortuna, quàm ad Byzantium, dispari: accepto in pectore sub læua papilla vulnere, exanimis concidit: ex aciéque à suis elatus, castrísque ab hostibus exutus, quadraginta circiter hominum millibus amissis vnà cum machinis bellicis, vix fuga vitā conseruauit. Ad huius insperatæ stragis, & fugæ tam turpis atq; ignominiosæ recordationem, vbi ad se rediit, tanta cum indignatione infremuisse dicitur: vt de morte sibi consciscenda cogitarit. Post hanc cladem, belli apparatum omnem terra mariq; in Asiā nulla mora interposita transtulit; Asiáque incredibili celeritate ceu peruolitata, opinione omnium citius contra Vsumcassanem ex Assimbeia Turcica stirpe, Cappadociæ, Armeniæ, & vicinarum aliquot regionum dominum, castra fixit: vbi licet vires ipsius bino acerrimóque conflictu vehementer essent attritæ: hoste tamen cedere coacto, mox Sinopen prouinciæ caput, omnémque Paphlagoniam subegit. Inde Trapezuntem regiam sedem terra mariqui infestissimè oppugnatam cepit: potitus & thesauris regiis, & ipso rege Dauide Comneno vnà cum filiis duobus & Caloioanne patruele: quos præmissos Byzantium ad triumphum, deinceps crudelissimè interemit A. C. 1459. Regnis illis in prouinciæ formam redactis: Pyrameto Caramanno eodem victoriæ cursu debellato, Ciliciam ademit. Inde reuersus Byzantium, classe Lemnum & Lesbum insulas cepit: Mitylene vrbe propè deleta, & tota Insulanorum multitudine abducta velut in aliam coloniam. Terra adortus Draculam Valachorum principem, ab eo improuisò non magna militum manu, in castris circumuentus atque conclusus, magnam exercitus partem amisit. Eo refecto adauctóque supplementis: superiorem Mysiam & Illyricum agressus: Stephanum Bosnæ Regem Iaiza vrbe totóque regno expulit & occidit A. C. 1463. Sed Bosnense regnum cum vrbe, aliísque multis in Croacia & Dalmatia locis

paulo pòst amisit: fuso fugatóque eius exercitu à Mathia Coruino Rege Pannoniæ: à quo ipsemet quoque, ad alteram Iaizæ obsidionem reuersus, castris & impedimentis omnibus exutus est & repulsus. Hexamili muro ad Isthmum Corinthiacum magno sumptu & labore à Venetis restituto: facta improuisa irruptione in Peloponnesum, deuastatis initiò agris Coroneis ac Methoneis, Venetos magna strage concîdit: mox reliqua Paphlagonia in deditionem accepta, murum ex vsu victoriæ totum demolitus est. Nec multos pòst eosdem è Lesbo insula, quam vnà cum Lemno recuperarant, expulit, cæsis quinque millibus armatorum: Chalcidéque tricesimo obsidionis die, fœda Christianorum strage, expugnata; Eubœam quoq; insulam illis ademit. Finitis induciis, quas cum Scanderbeio pepigerat, ad oppugnationem Croiæ & Scodræ vrbium in Albania reuersus: vtramque tandem longa fatigatam obsidione, & multis exhaustam cladibus, perdomuit: Scodram dedentibus Venetis. Totius tandem orbis inhians Imperio vno eodémque tempore tres expeditiones suscepit. Misso itaque Mesithe purpurato cum valida classe in Rhodum insulam; Acomathe autem Bassa in Italiam: tertium ipse exercitum in Asiam ducturus, apud Nicomediam repentino coli dolore correptus, extremum vitæ diem tridui cruciatu festinata morte clausit, magno Reipub. Christianæ commodo, v. Non. Maii A.C. 1481. ætatis suæ LIII. tyrannidis XXXII. Tres eius memorantur filii, quorum

MVSTAPHA maximus natu, contra Vsumcassanem sub paternis signis egregium militiæ specimen edidit, pulso Iosepho Persico duce. Iconii decessit ante patrem: confectus libidinibus & voluptatibus.

BAIAZETES II. patri in tyrannide successit.

GEMES à patre Lycaoniæ, cuius caput est Iconium, præfectus: de spe Imperii deiectus, ab Aegypti Sultanô Caithbeio & Caramanno adiutus, fratri de Imperio bellum mouit: sed à quo, ductu Acomathis Bassæ, tribus prœliis superatus: desperatione confugit ad Magnum Rhodi Magistrum: relicta apud Carras matre, & geminis tenellæ ætatis liberis, masculo & fœmina, à Baiazete postmodo necatis. A Rhodiis inde militibus Romano Pontifici custodiendus missus: inde Carolo IIX. Gallo, per vrbem ad obsidionem Neopolitanam cum exercitu proficiscenti, obses datus: Terracinæ in itinere interiit, veneno per Alexandrum Pontificem necatus.

8. BAIAZETES II. à prætorianis militibus absens in Cappadocia, vbi Præfectum agebat, Imperator proclamatus: festinatissimis itineribus Byzantium reuersus: Corchuto filio adolescente, quem nonnulli equestris militiæ principes Imperatorem salutarant, sponte cedente; Imperii habenas excepit: Gemem fratrem, æmulum, tribus prœliis superatum fugauit: liberos eius apud Carras necauit. Mox etiam Acomathi Bassæ ex Albania oriundo, per quem Imperium aduersus fratrem defensum conseruarat; quò thesauris eius potiretur, gratiã laqueo reddidit. Intestino bello hoc modo liberatus: etsi nàtura ab armorũ strepitu abhorruit: (fuit enim & animo & corpore languidior: neutiquã par maioribus, aut fortunatæ audaciæ successibus, aut laborum bellicorum tolerantia) tamen vt tueretur maiestatem acquisitæ potentiæ: more maiorum, proxima in Christianos arma dirigens, Valachiam tertio sui principatus anno subegit: arcibus duabus, Lithosthomo ad Istri ostium, & Moncastro ad Borysthenem fluuium, expugnatis. Bellum exinde in Asiam infelici auspicio transtulit: pœnas sumpturus de Caithbeio Sultano Ægypti, qui Gemem fratrẽ commeatu & milite adiuuerat, sed à quo ad Tarsum magna suorum clade profligatus; ab Asia deinceps ad motus vsq; Persicos abstinere coactus est. Ad Europæa itaque reuersus bella: Dyrrachio prope Velonam expugnato; Illyriorum, Pannoniorum, & Croatorum coniunctas copias, magno prælio per Cadũ Bassam non procul à Sauo cæcîdit A.C. 1493. Venetis inde bellum inferens, Naupacto oppido in Ætolio sinu capto; Methonem, Peloponnesi vrbem munitissimam, post diuturnam obsidionem, variaque certamina vtrinq; depugnata, occupauit: vbi loci eius Episcopum, alióſque nobilissimos in ciuitate viros supra mille numero, longis nexos restibus & ad prætorium productos, in suo conspectu barbarica immanitate ad vnum omnes trucidauit. Ne autem in Europa progrederetur, & inchoatum victoriæ cursum persequeretur; reuocatus est bello Persico, cuius periculis consternatus, quum se alioquin & ob pedum dolorem & senectam ad tantæ militiæ munia obeunda, sentiret esse inualidum: de

ſucceſſore deligendo cum purpuratis deliberare cœpit: quæ res materiam bellis inteſtinis præbuit. Quum enim magis ipſe Athomati, purpurati autem Selymo fauerent: ab hoc perfidè regno exutus, & in fuga per Hammonem Iudæũ medicum veneno eſt ſublatus III. Id. Aprilis A. C. 1512. ſeptuagenario maior quadriennio: quum rebus Turcicis præfuiſſet annos XXXI. Sepultus Conſtantinopoli. Filii eius

SCIANSCIACVS }
MAHOMETES } *ante patrem morbo abſumpti, filios ſinguli reliquere*
ALEMSCIACVS }

MAHOMETEN }
ZILEBVM } à Selymo patruo crudeliter necatos.
ORCHANEM }

ACHOMATES *in Amaſiæ & Cappadociæ præfecturis, voluptatibus potiùs, quàm bellis operam dans: ad ſucceſsionem Imperii à patre vocatus, Chalcedonem vſque venit, ſed à Selymo ad Elatam fluuium acie victus, & tandem ſtrangulatus eſt A. C. 1512. ſuperſtitibus duobus filiis*

AMVRATHE } qui de fortuna patris & prælii euentu edocti, fugam arripuerunt: ille
ALADINO } ad Hiſmaelem Sophum Perſarum Regem: hic ad Campſonem Gaurium Ægypti Sultanum. Vnde nouorum bellorum cauſa Selymo conflata, liberauit orbem Chriſtianum ſummo diſcrimine.

CORCHVTVS *ab Iſaaco & Meſithe purpuratis contra patrem Imperator ſalutatus, ſponte illi ceſsit: à cuius obitu in Magneſia ſtudiis ſeſe oblectans, à Selymo fratre improuiſo ſubornatis ſatellitibus comprehenſus & ſtrangulatus eſt A. C. 1512*

Selymus I. Tyrannidem arripuit, ſtemmaq́; propagauit.

Filia ἀνώνυμος, nuptum collocata Cherſeogli, Cherſechii reguli in Illyrico ad Nigrum montem filio: qui propter iniuriam quandam à patre acceptam ad Baiazeten tranſierat: cui in multis bellis, præſertim Aſiatico & Veneto, militauit.

9. SELYMVS I. à purpuratis per ſeditionem, inuito patre, Imp. proclamatus; inſitam ingenio diram rabiem, & cæde paterna exaſperatam, conſuetudine Ottomannica mox in fratres & nepotes expromſit : quibus immanem in modum necatis: Muſtapham quoque Baſſam, cuius ſubnixu ad Imperium conſcenderat, priùs ſtrangulatum, canibus deinde dilaniandum obiecit. Cum Hiſmaele Sopho Rege Perſico in campis Chalderanis ad Choim, acerrimo prælio conflixit VII. Kal. Septemb. A. C. 1514. de quo cruẽta parta victoria, Tauriſiam Perſarum regiam deditione ciuium occupauit & diripuit: móxq; ex tota maiore Armènia exercitum in Cappadociam reduxit: Aladolum Regem, montanis gentibus in Tauro & Antitauro imperantẽ, bello inuaſurus. Quo capto, cęſóq;, mouit in Campſonẽ Gaurium Ægypti Sultanũ: quem promotis à Damaſco caſtris ſibi occurrentẽ; à Caierbeio verò præfecto Alepi & Comagenę prouinciæ inſigni perfidia deſertũ; & in fuga cadente equo in puluerẽ excuſſum, obtruncauit VII. Kal. Sept. biennio poſt conflictum cum Hiſmaelo. Tam inſperato ſucceſſu Syria potitus: ne quid belli ſupereſſet, ad reliquias Mamalucorum perſequendas conuerſus: Tomambeiũ Circaſſum in Campſonis locum delectum, ad vrbem Memphim magno Mamalucorum ſtrage poſt tridui præliũ fugatum; in paludibus tandẽ Nili repertũ, diu èxquiſitiſſimis tormentis excruciauit: extremeq; vili iumẽto impoſitũ, & per vrbem circumductũ gula laqueo fracta, ad Baſuelã Syriæ portam vnco ferreo ſupra fornicẽ ſuſpendit Idib. Aprilis A. C. 1517. De Mamalucis Byzantiũ triũphabundus reuerſus: atrox deinceps bellũ in Chriſtianos moturus: in ipſo conatu vlcere canceroſo renum correptus: toto corpore ex longè lateq́; ſerpentis vlceris corroſione fœdè putreſcente; morte ſæuitia tam beluina digna meritas immanis parricidii pœnas perſoluit XIV. Kal. Octob. A. C. 1520. apud Chiurlum Thraciæ pagum, eo ipſo in loco, quo Baiazeten patrem acie circumfuſum antea opprimere fuerat conatus. Vixit annos XLVI. regnauit annis octo, cum menſibus totidem, totidemq́; diebus. Vxor N. filia Tartari Præcopitæ.

10. SOLYMANNVS II. Selymi F. inter feliciſſimos tyrannos Turcicos procul dubio numerandus: a patre crudelem iam iam animam exhalante commendatus Pyrrho Baſſæ Cilici, cum ſeueriſſimis mandatis, vt ſe mortuo, omiſſis Perſis, arma in Chriſtianos verterentur: ſtatim à patris morte Belgradum, Vngariæ propugnaculum, occupauit: Rhodum obſidionis menſe ſexto deditione accepit: Budam olim Regũ Vngariæ ſedem, Lu-

douico Rege ad Aloguciacũ lamentabili prælio trucidato, cum magna eius regni parte in suam ditionem redegit. Viennæ postea oppugnatione frustrà aliquoties tentata; octoginta ampliùs hominum millibus amissis, exercitum summa cum ignominia illinc abducere est coactus. Non multo pòst Gunsium Vngariæ oppidulũ cum ducentis millibus armatorũ ter decies oppugnauit: non captum tamen vi, sed deditione traditũ accepit. Eo loci aduentu Caroli V. Cæsaris audito, per Noricorum montana fugiens, multa præda domum onustus rediit. In Selymum, quàm in cæteros filios propensior quum esset: (nam & Mustapham filium natu maximum non multo pòst vxoris impulsu, quæ Selymum parenti succedere cupiebat, strangulauit) hic autẽ Baiazeto fratri insidias & necẽ pararet, conflatũ illi est bellum à Tamnaso Persarum Rege, ad quem Baiazetus confugerat, in quo magna suorum clade accepta, ipse quoq; saucius terga vertere est coactus. Cæterùm vltima expeditione Vngarica, multo iam senio confectus, multisq; laboribus defatigatus, ingenti suorũ clade cognita, ira percitus, repentè sanguinis laborare profluuio cœpit, cui superueniente apoplexia, in castris ad Zigethum periit pridie Non. Sept. A.C. 1566. annũ ętatis agens LXXVI. Vir non minùs prudentia, liberalitate, magnitudine animi, multarũ rerum peritia, quàm fortunæ felicitate insignis, in transigẽdis negotiis solers & diligens, doctorũ fautor, religionis suæ obseruator & cultor eximius. Filii eius

è serua muliere, ex Circassia oriunda,

MVSTAPHA *primogenitus, à patre Cappadociæ præfectus: princeps egregius, omnibúsq; regiis virtutibus ornatus: fraude nouercæ, à patre propter suspicionem proditionis & violatæ fidei est strangulatus III. Kal. Septemb. A.C. 1553 filio superstite*

MAHOMETE decimum tertium annum agente, ex Illyrica serua genito: ab auo Bursiæ præfectura donato.

è ROSSA serua, quam postea vxorem duxit, muliere fraudulenta & nefaria,

MAHOMETES *Ciliciæ & Pamphiliæ præfectus, patrem morte præuertit.*

BAIAZETES *Mechoresiæ dominus, Selymo fratre insidias ipsi intentante, metu patris ad Tamnasum Persarum Regem confugiens; parricidiali cum patre prælio decertare non veritus tanto impetu, tantaq; virtute impressionem in acies eius fecit: vt cum suis fuga salutem quærere coactus fuerit. Per legatos reuocatus securi percussus est.*

ZEANGIR *gibbo deformis, Mustapha strangulato, tantæ crudelitatis ignarus, à patre accitus & fratrem visere iussus: alacer tanquam ad eius complexum properans, vbi eum miserè suffocatum vidit. plurima de facinoris indignitate & patris crudelitate conquestus: pugione mortem sibi ipsi intulit A.C. 1553.*

CHAMERIA *Rostani purpurato in matrimonio locata.*

SELYMVS II. *Mahometi fratri defuncto in præfectura Ciliciæ & Pamphiliæ successor datus: accepto nuncio paternæ mortis, quanta maxima celeritate Byzantium aduolauit: vbi Imperator consecratus, illicò pacem cum Venetis firmauit: cum Cæsare autem octennii inducias pepigit. Arabicam mox expeditionem suscipiens, ad Tanaim & Volgam non leui accepta clade; arma in Sarmatas conuertit, successu magis irrito quàm felici. In Venetos inde mouens, multas illis in Cypro ciuitates eripuit: Nicosiam expugnauit: Famaugustam, olim Salamiden dictam, eiusdem metropolin, occupauit. Sed à quibus & confœderatis Hispanis, paucis ab hinc interiectis mensibus, ad sinum Corinthiacum magna suorum strage fusus est Non. Octobris A. C. 1571. Triennio ab hac clade accepta, morbo correptus, vitam cum morte commutauit postridie Idus Decembris, anno ætatis LI. tyrannidis octauo. Huius F.*

AMVRATHES III. patre extincto, cum magna omnium Ianizzerorum Byzantinorúmq; ciuium lætitia proclamatus Imperator: more maiorum, quinque fratres impuberes, ne quas insidias domesticas timeret, iugulatos vnà cum patre tumulauit. Cæterùm nulla memorabili re, nisi induciis cum Cæsare & Hispano, nobilitatus: decimo regiminis sui anno, vitæ verò XXXVII. extinctus: successorem reliquit F.

SOLYMANNVM III. *Imp. inauguratum A.C. 1585. cuius nefarias molitiones impiaq; consilia vt Deus Opt. Max. impediat: & ab eius cruentis armis, atq; barbarica tyrannide Christianum asserat orbem: omnibus sanè votis exorandus est.*

IMPERA-



IMPERATORVM GERMANICORVM FAMILIÆ.


I.

CAROLI MAGNI.

Ex Regibus Franciæ.

☞ *Plenius & fuſius hanc familiam explicabimus in altero opere Genealogico Principum Germaniæ, ſub Tit. ſtirpis Carolinæ.*

1. Carolus Magnus.



Familiæ ἐκφράσις.

1. CAROLVS Pipini Francorum Regis F. à rerum geſtarum gloria & magnitudine MAGNVS & Chriſtianiſſimus dictus; vnus inter ſummos & ſalutares orbis terrarum monarchas, diuinitùs excitatus & adiutus: occupata armis Italia & vrbe Roma, Longobardorúmque regno deſtructo: populi Romani ſcito, à Leone III. Pontifice Imperator & Auguſtus renunciatus, diademate donatus atque inunctus: Imperium Occidentis, per annos ampliùs trecentos à diuerſis gentibus tentatum & horribiliter laceratum, primus reſtituit, legibúſq; conſtituit: Germania, Gallia, Italia coniunctis, quò hoſtibus ex omni parte ad reſiſtendum par eſſet: Saracenos, Saxones, Sclauos, Danos, Bohemos, Hunnos, Auaros fortiter debellauit; quas gentes omnes licet non oppreſſit, fractas tamen domuit & repreſſit, intráque certos limites retinuit. Nec pacem tantùm reddidit Occidenti: ſed quod multò maius & tanto Principe dignius eſt, Eccleſiis paſſim & ſcholis conſtitutis plurimis, Chriſtianam religionem in Germania longè latéque diſſeminauit. Toto itaque mundo clarus & ſuſpiciendus: Deo tandem receptui canente, ex hac vita in cœleſtem migrauit patriã v. Kal. Februarii A.C. 814. ſeptuagenario maior biennio. Romæ in æde B. Virginis Deiparæ, quam magnis ipſe ſumptibus extruxit, ſepultus. Præter concubinas diuerſas, vxores habuit quatuor: quarum primam HERMINGARDIN filiam Deſiderii Regis Longobardorum repudiauit: altera HILDEGARDIS, nata ex nobili familia Godefridi Ducis Alemannorum, naturæ conceſſit pridie Kal. Maii A.C. 783. tertia FASTRADA Rudolphi Franciæ Orientalis Comitis F. deceſſit IV. Id. Auguſti A.C. 794. vltima LVITGARDA Friderici Alemanniæ Ducis F. obiit prid. Non.

Iunii A.C. 800. Ex liberis autem (vt reliquos omittamus) quos ex Hiltegarde Alemanna genuit,

CAROLVS Rex Germaniæ, contra Saxones & Sclauos missus, vtrosque ad obsequium redegit. Obiit ante patrem prid. Non. Decembris A.C. 811.

PIPINVS Rex Italiæ, Venetis debellatis, Mediolani ante patrem & ipse fatali morte est absumptus prid. Non. Quintil. A.C. 810.

Ludouicus Pius, patris in Imperio successor, stemma propagauit.

ROTRVDIS Constantino VI. Imp. Byzantino desponsata, ante nuptias obiit Idibus Iunii A.C. 810.

2. LVDOVICVS à pietatis religionísque studio PIVS cognominatus: à patre in Imperio successor destinatus, & per Stephanum IV. Romanum Pontificem corona & imperialibus titulis insignitus: Dacicum bellum ex sententia confecit, Bernardum è fratre nepotem, Regem Italiæ, Imperio inhiantem, oculis priuatum, in monasterium detrusit: Britones & Bulgaros, pacis turbatores compressit. Cæterùm quum ex vxore totus penderet, déque eius consilio pleraque facere, & in Carolum natu minimum animo propensiore esse videretur, venit in odium cùm apud Imperii proceres, tum etiam apud filios: à quibus parricidiali bello captus, & Suessione ad Medardum in carcere detentus, post annum demum pristinæ restitutus dignitati, breui Moguntiæ, inualescente morbo, diem clausit extremum XII. Kal. Iulii A.C. 840. Vita illi annorum LXIV. Imperium annorum XXVI. mensium quatuor, dierum XXIV. Filii eius ex duabus coniugibus memorantur quatuor,

ex HERMINGARDE Ingerami Andium Ducis F.

Lotharius Imp. de quo vide n. 3.

PIPINVS Rex Aquitaniæ, Vasconum domitor: à patre ob prauum & turbulentum ingenium Treuerorum Augustam relegatus: patrem morte præuertit A. C. 839. duobus superstitibus filiis:

PIPINO Duce Aquitaniæ, à Carolo Caluo Suessione in cœnobium S. Medardi detruso.

CAROLO Duce Aquitaniæ, à Carolo Caluo in Corbiense monasterium relegato: ex quo fuga elapsus, Moguntinis à Ludouico Germanico Archimystes est datus. Obiit prid. Non. Iunii A.C. 863.

Ludouicus Germanicus, de quo num. 5.

ex IVDITHA filia Guelfi Comitis Altorfii.

Carolus Caluus Imp. & Rex Galliæ, de quo sub num. 4.

3. LOTHARIVS in conuentu apud Aquisgranum habito, à patre Ludouico Imperii socius delectus, & à Paschale Rom. Pontifice inunctus, bino satisque cruento à fratribus prælio superatus: impietatis suæ in patrem meritas pœnas expendit. Post hæc quum Imperio annis quindecim præfuisset, rerum cura filio Ludouico relicta; tædio vitæ præsentis, facinorísque in patrem patrati expiandi consilio, monachorum apud Treuiros sumsit habitum, nec multo pòst III. Kal. Octob. A.C. 855. è viuis excessit. Fuit in eius connubio IRMENGARDIS, Hugonis Comitis filia, qua tres procreati filii. Horum

LVDOVICVS II. natu maximus, à patre in socium regni adscitus, & Romæ à Sergio Pontifice coronatus: Saracenos magno impetu Italiam ingressos, in agro Beneuentano feliciter profligauit. Post Lotharii sui germani excessum, ex Italia in Germaniam reuersus: ob Austrasiæ regnum cum Carolo Francorum Rege, quod totum sibi ille vendicabat, discordi animo vixit. Sed mox compositis rebus, Mediolani decessit prid. Kal. Sextil. A. C. 875. Ibidem sepultus in æde D. Ambrosii. Imperauit annos viginti, duobus exceptis mensibus. Excelluit eruditione liberali, pietate, comitate; ingenii item dexteritate, & consiliorum celeritate. Ex ENGELBERGA vxore vnicam reliquit filiam

HERMINGARDAM nuptam Bosoni Prouinciæ Comiti.

CAROLVS Rex Prouinciæ atq. Burgundiæ, ἄπαις obiit A.C. 858.

LOTHARIVS Rex Lotharingiæ, fratri contra Saracenos in Italia suppetias ferens: hostibus debellatis, in reditu ad Placentiam peste periit VII. Id. Augusti A.C. 869. De eius prosapia alio in loco agemus.

4. CAROLVS

4. CAROLVS Caluus, Ludouici Pii minor natu F. Francorum rex, vir insolens & supra modum ambitiosus: Ludouici nepotis morte cognita, Italiam petiit, vbi à Ioanne IIX. Pontifice, quem pecunia corrupit, Imperator declaratus, & Imperiali diademate insignitus est. Mox ergo in Saracenos mouens, facilè conatus eorum repressit. In Gallias inde reuersus: audita morte Ludouici Germanici, protinus eius filiis, de regno paterno bellum intulit: sed à quibus ad Veronam victus & profligatus, Mantuam se recepit, vbi curis confectus, non sine veneni suspicione, dati à Sedechia medico Iudæo, absumptus est pridie Nonarum Octobris A.C. 877. quum rem Romanam tenuisset biennium, totidem menses, dies septem. Cadauer ad sepulturam in Franciam deportandum, exenteratum & aromatibus conditum: at putredinis virulentia Vercellis inhumatum, post septimum demum annum refossum, & ad S. Dionysium relatū est. Vxores habuit duas: RICHILDEN sororem Bosonis, Galliæ Narbonensis principis; & HERMINTRVDEM, qua nati

CAROLVS Dux Aquitaniæ, in lucta ab Albino athleta noctu, suspicante se à grassatore peti, confossus A.C. 871.

LVDOVICVS BALBVS, Galliæ Rex, à Ioanne IX. Pontifice, è Romanorum carceribus elapso, & apud Gallos agente, coacto Tricassibus concilio, Imperator renunciatus, hac dignitate vix sesquibiennio est lætatus. Etenim quum esset valetudine imbecilliore: sub ipso apparatu expeditionis Italicæ, Compendii morbo periit IV. Id. Aprilis A. C. 879. duobus naturalibus relictis filiis, Ludouico & Carolomanno, qui tutorio nomine regnum Franciæ administrarunt annos quinque: & coniuge ADELHEIDE grauida, quæ paulò pòst enixa, peperit

CAROLVM cognomento Simplicem & posthumum Regem Franciæ, Peronæ in custodia extinctum Non. Octob. A.C. 926. De eius prosapia alibi referemus.

CAROLOMANNVS puer sacris initiatus, vbi ex ephebis excessit, aris relictis, sacerdotes & templa bello & direptionibus grauiter afflixit. Quapropter à patre, oculis erutis, in vincula coniectus: sed elapsus, Moguntiæ paulo pòst obiit A.C. 871.

5. LVDOVICVS Germanicus, Ludouici Pii Imp. F. Rex Boiorum; à fratribus bis captum genitorem seruauit, & iniusta ex seruitute vindicauit: Lotharium fratrem, æquam paternæ hæreditatis diuisionem sibi denegantem, bis graui clade affecit: Franciæ regnū Carolo alteri fratri armis eripere conatus, sed profligatus, breui cum ipso in gratiam rediit. Cæterùm Bulgaros Pannonia & Boiaria expulit: bellum Seruile in Saxonia magna celeritate repressit: Henetos sæpiùs rebellantes, semper ad obsequium reduxit. Obiit Francofurti septuagenarius v. Kal. Septembris A.C. 876. Sepultus Laureaci. Vxor eius HEMMA Hispana, Ratisbonæ apoplexia extincta XI. Kal. April. A.C. 876. tres ipsi enixa est filios:

CAROLVM à corporis habitudine Crassum *dictum, Regem Italiæ & Germaniæ, Romanorum procerum fauore Imperio potitum; & à Ioanne Pontifice Romano corona insignitum IIX. Kal. Ianuarii A. C. 879. Ob aduersos in bello casus, & iniqua cum hostibus Normannis fœdera suis inuisus redditus, tantum mærorem contraxit: vt non solùm corporis, sed & animi vigorem amiserit. Vnde quum nec Imperio vtilis, nec mentis compos esset, regnis omnibus exutus, in summa inopia decessit A. C. 888. pridie Iduum Ianuarii. Conditus in Augæo maiore prope Constantiam humili monumento. Vxorem RICHARDIN Scotiæ Regis filiam, ob conceptam falsò de adulterio suspicionem repudiauit.*

CAROLOMANNVM Regem Boiariæ & Italiæ, qui Sclauos & Morauos multis præliis compescuit: Otingæ paralysi extinctum XII. Kal. Aprilis A.C. 880. genitorem ex LITOVINDA Carinthia, nobili fæmina, sua concubina,

GISALÆ, Suatebogo Vandalorum Duci nuptæ.

ARNVLPHI Marchionis Styriæ & Carinthiæ: qui posteà ab optimatibus Imperator delectus; Carolo Crasso patruo, nouo & inusitato modo, curator datus est. Princeps strenuus & bellicosus: quippe qui Normannos & Morauos multis cladibus affecit: Guidonem Italiæ tyrannum tota Longobardia expulit: à cuius vxore venenato philtro potionatus; mox paralysi correptus: nec multo pòst pediculari morbo est absumptus III. Kal. Decembris A.C. 899. quum imperasset annos duodecim, dies vndeuiginti. Otingæ iuxta patrem sepultus; ex IVTHA Ethiconis Guelfi filia, tribus procreatis liberis:

LVDOVICO IV. septenne Forchemii à Germaniæ proceribus ad Imperii fastigium euecto: sed multis bellis ciuilibus, quòd per ætatem ad res gerendas nondum erat idoneus,

implicito: inprimis autem Hunnico, quo ab hostibus victus, florentissimam partem nobilitatis Germanicæ perdidit. Obiit Ratisbonæ XII. *Kal. Februarii A. C.* 912. *ex vxore* LVIDGARDE *Othonis, Magni Ducis Saxoniæ, germana nulla suscepta prole.*

LVIDGARDE *Othoni, Magno Duci Saxoniæ nupta.*

BERTHA *Luithardi Comitis Cliuiæ consorte.*

LVDOVICVM *Ducem Franciæ & Boiariæ, virum fortem & bellicosum, conditorem Principum Palatinorum & Boiorum: Francofordiæ rebus humanis exemptum* XII. *Kal. Februarii A. C.* 882. *& Laureaci iuxta patrem sepultum.*

PLACENTIAM *vxorem Conradi Ducis Franconiæ, qui post Ludouicum* IV. *imperauit.*



II.

CONRADI I. DVCIS FRANCONIÆ.

CONRADVS Dux Franciæ Orientalis, Comes Lotharingiæ, incertis natus parentibus (quidam tamen natum eum volunt patre Arnulpho Imp. quod quàm verum sit, ipsi viderint) Episcopũ Vurciburgium defendit contra Albertum Comitem Bambergensem, & eius fratres Adelhardum & Henricum: quibus ea expeditione amissis, ab hoc cædem illorum vlturo, in Hassia fraude interceptus & trucidatus est III. Kal. Martii A. C. 905.

CONRADVS Dux Franconiæ Orientalis, vir rei militaris peritissimus: à Germaniæ proceribus Ludouico in Imperio suffectus: grauem ab Hungarorum irruptione cladem sustinuit: adeò vt ad pacem quibuscunque conditionibus redimendam annua pensione fuerit coactus. Liberata hoc modo ab Hungaris Germania: Principes Imperii nihil de hostilibus molitionibus remittentes, partim proscripsit, partim bello captos securi percussit. Moriturus Henricum Aucupem, Ducem Saxoniæ, quo cum non ita pridem bellum internecinum gesserat, Imperatorem dixit: cui quoque per Eberardum fratrem regalia transmisit. Obiit autem X. Kal. Decembris A. C. 919. post rei summam sesquiocto annis dexterrimè administratam. Sepultus in monasterio Fuldensi. Vxorem habuit PLACENTIAM, filiam Ludouici Senioris Regis Germaniæ; ex qua nullam prolem tulit.

HILDEBERTVS Archiepiscopus Mogũtinus, Othonẽ I. Imp. inunxit.

EBERARDVS fratre altero ad Imperii fastigiũ vocato, altero Moguntinis præfecto: Ostrofranciam solus administrare perrexit. Cum Henrico Rixoso Boio & Giselberto Lotharingo in Imp. Othonem I. conspirans: ab eo aliquoties profligatus: tandem ad Andernacum oppidum in acie cecidit A. C. 942. Ab hoc virum descendant Imperatores Francici, ad quos post Saxones rediit Imperii summa, incertum est.




III.

HENRICI AVCVPIS.

E Ducibus Saxoniæ:

☞ *Familiam hanc integram & pleniorem reperies in altero libro Genealogico, cuius suprà meminimus, sub Tit. Stirpis Vitichindeæ.*

Henricus



Familiæ ἔκφρασις.

HENRICVS cognomento Auceps, Othonis Magni Ducis Saxoniæ F. Vitechindi Magni atnepos, poſt Conradum Germanorum Imperio præfectus: mox in id incubuit, vt motus inteſtinos ſedaret, ac Germaniam pacaret. Arnolpho itaque Bauariæ Duci, regnum affectanti, cum exercitu obuiam procedens; vnico colloquio, arma deponere, & Imperio cedere perſuaſit. Vires inde in hoſtes conuertens: Hungaros, Alemanniam populantes, ingenti clade ſuperauit, Sclauos ſubegit: Dalmatas tributarios fecit: Bohemos Imperii legibus ſubiecit: Brandeburgo expugnata, Obotritos inde eiecit: Vandalis ad mare vſque ſubactis, toti Germaniæ ſummam tranquillitatem peperit: Lotharingiam recepit. Italiam ingreſſurus, apoplexią correptus, magno ſubditorum omnium luctu expirauit VI. Non. Iulii A.C. 936. ſexagenarius: vir in bellicis rebus ſtrenuus & fortis. Sepultus Quedlinburgi in baſilica B. Petri, cum vxore MECHTILDE, Theodorici Comitis Ringelheimii filia: quæ diem obiit pridie Iduum Martii A.C. 969. His coniugibus tres mares, quinq; fœmellæ nati:

OTHO I. *Dux Saxoniæ, Angriæ, Weſtphaliæ, Turingiæ, Haſſiæ & Wetterauiæ; à patris obitu Aquiſgrani ab epiſcopo Moguntino Hildeberto* IMP. *conſecratus: inter initia gubernationis, difficilimis atque diuerſis implicatus bellis: Bauaricos motus primò compreſſit: imperiiq; hoſtibus Eberardo Franco, & Giſelberto Lotharingo oppreſſis; ciuilia bella aliqua ex parte ſopiuit. Mox in Galliam profectus, Hugone Pariſiorum comite grauiter afflicto, Ludouicum Regem libertati regnoque reſtituit: Belgas verò & Burgundos à Gallico regno abſtractos, ſuæ Germaniæ adiecit. A proceribus inde Romanis, Berengarii & Adelberti filii tyrannidem exoſis, in Italiam accerſitus: illos Italiæ regno deturbatos, parte donauit Galliæ Ciſalpina trans Padum: iterum aliquanto pòſt res nouas molientes, & in quoſuis crudeliter ſæuientes; acie captos, alterum Conſtantinopolim, alterum in Auſtriam deportauit. Ex prima Italica expeditione reuerſum excepit conſpiratio filii & generi; nec multo pòſt bellum Hunnicum longè grauiſſimum, quo totum hoſtium exercitum ad internecionem cæcidit. Cæterùm Danos & Henetos magno ad Sleſuicum prælio deuictos; Bohemos autem quindecim annorum bello fractos, iugo imperii ſeſe ſubdere coegit. Sic itaque multis rebus geſtis, domi foriſq; clarus, ætate ingraueſcente, apoplexia correptus, è vita exceſſit Non. Maii A.C. 973. poſt felicem per* XXXVII. *annos rei adminiſtrationem. Sepultus Magdeburgi. Filios genuit*

☙ *ex* EDITHA *Edmundi Anglorum Regis F. defuncta A.C. 947.* VII. *Kal. Febr.*

LVDOLPHVM, ad quem Hermanno ſocero defuncto Ducatus Sueuiæ hæreditatis & ſucceſſionis iure peruenit. In Italia Berengarium, cædibus atque exiliis patriam deſolantem, feliciter compeſcuit: vbi re bene geſta quoque mortuus eſt A.C. 957. ex ITHA vxore vnico ſuperſtite F.

OTHONE *Duce Sueuia, in expeditione Italica Othonis II. Imp. extincto, pridie Kal. Nouemb. A.C. 982. Eius ex vxore* IVDITHA *Lotharingica filii ſunt*

BRVNO Epiſcopus Verdenſis: quem Otho III. creauit Pontificem Romanum cognomento Gregorium V. Romæ veneno extinctum XII. Kal. Maii A.C. 998.

ECHARDVS Marchio Saxoniæ & Turingiæ, interfectus à Ducibus Saxoniæ Lothario & Bennone, quòd aduerſaretur electioni Henrici II. Imp.

GVLIELMVM Archiepiſcopum Moguntinum, defunctum A.C. 968. VI. Non. Martii

LVIDGARDIM vxorem Conradi Sapientis, Lotharingiæ Ducis, Moguntiæ in æde D. Albani sepultam A.C.953.
MECHTILDEN Abbatissam Quedlinburgensem, defunctam A. C. 997. IIX. Id. Februarii.

ex ADELHEIDE Burgunda, Lotharii Regis Italiæ vidua; mortua VI. Id. Decemb. A. C.984.

ADELHEIDEN ab Alramo Marchione Montisferrati furtim abductam.
RICHILDEM consortem Conradi Comitis Oeningensis.
OTHONEM II. re in Saracenos Græcósque feliciter gesta, à patre in Imperii consortem adscitum: & à Ioanne XIII. cum vxore THEOPHANIA apud Lateranensem Basilicam corona Imperii exornatum. Henricum Boium rebellem armis domuit. & aduersus Lotharium Francorum regem, Lotharingiam sibi vendicantem, infestas copias ducens; ad ipsam vsque Parisiorum vrbem penetrauit: & Laudunensium Suessionumque agros fœdis populationibus vastauit, in reditu, dum vado Axonam fluuium traiicit; graui à Francis incommodo est affectus: plerisque suorum militum aquæ vorticibus absorptis: pluribus ab insequenti hostium multitudine interfectis. Non multo pôst cum Saracenis & Græcis Calabriam repetentibus, infeliciter ad Beneuentum congressus: Romanis & Beneuentanis sceleratè aciem deserentibus; ipse vix fuga elapsus, at scapha conscensâ à piratis interceptus; beneficio Græcæ linguæ, quam calluit, ex hostium manibus euasit. Disiectas mox dilapsásque reliquias recolligens, bello instaurato, hostes ad internecionem deleuit: de desertoribus autem dignum supplicium sumsit. Ab hoc facinore Sanguinarii; ab illo, Pallidæ mortis cognomentum traxit. Romæ ventris profluuio decessit VI. Id. Decemb. A.C.983. ætatis XXX. Ibidem sepultus. Ex binis coniugibus, septeni ipsi nati liberi:

ex THEOPHANIA quidem, Romani Iunioris Imp. Byzantini F.

OTHO III. *ob ingenii promptitudinem & singularem prudentiam Mirabilia mundi vocatus: Romæ à Principibus Germanis IMP. dictus: à Gregorio V. Pontifice suo consanguineo, diadema Imperiale accepit. Quo à Ioanne adulterino Pontifice Vrbe pulso: maximis copiis accinctus, Italiam ingressus, Romam vi cepit: Crescentium Consulem, seditionis auctorem, captum; oculis erutis, & auribus truncis retrorsum asino impositum, & spectaculi loco per Vrbem circumuectum, demum suspendii pœna affecit: Ioannem Pont. exoculauit: Gregorium V. pristinæ dignitati restituit. Tertiò Italiam ingressus, quum sedatis motibus deperiisset vxorem Crescentii: chirothecis veneno infectis ab ea donatus periit ἄπαις V. Kal. Febr. A. C. 1001. ætatis suæ XXX. Uxorem habuit MARIAM Hispaniam, mulierem impudicæ & procacis libidinis, quam adulterii conuictam ad Mutinam viuam cremauit.*
HVGO, à quo quidam deducunt familiam Allobrogum.
ADELHEIDIS Abbatissa Quedlinburgensis.
SOPHIA Abbatissa Gandersheimensis.

ex N. Marchionissa Austriæ, vxore altera, quam priori superinduxit:

VITHILDIS vxor Theodorici Comitis Hollandiæ.
MECHTILDIS Ezelino Comiti Palatino, & post eum Gotofrido Barbato Duci Lotharingiæ nupta.
IVDITHA Monialis Ratisbonensis, sed abducta nupsit primò Bisetizlao Duci Bohemiæ; inde Mesiconi Duci Poloniæ: tum Petro Regi Vngariæ.

HENRICVS RIXOSVS Dux Saxoniæ, cum Eberardo Franco & Giselberto Lotharingo in fratrem Imperatorem conspirans; ab ipso in fugam actus, non modo veniam impetrauit, sed & Bertholdo Boio defuncto, Bauariæ ducatum eiusdem beneficio obtinuit, vnde postmodo ab Arnulpho & Hermanno illius nepotibus exactus, fido tamen fratris auxilio restitutus est. Cæterùm vir fuit fortis, manuq; strenuus, quippe qui Vngaros bis magna strage fugauit: & fratre Imperatore contra Berengariũ euocato, multas Italiæ vrbes occupauit. Fatali morte absumtus Ratisbonæ, ibidem in æde Haimerana conditus est A. C.955. Kal. Nouembris. Ex IVDITHA Arnulphi Mali Bauariæ Ducis F. sex suscepit liberos:

HENRICVM Hezelonem, Ducem Saxoniæ, Bauariæ, & Brabantiæ: principem ingenii inquieti & ambitiosi: ab Othone II. Cæsare captum, & ad Treueros relegatum: Ratisbonæ defunctum III. Non. Octobris A. C. 995. Huic ex GISALA vxore, filia Conradi Regis Burgundiæ, similiter sex nati liberi:

HENRICVS Claudus, Dux Bauariæ, primus ex Othonis constitutione Imperator electus: accepta Romæ à Benedicto IIX. imperiali corona, in Capuam mouit: Saracenos Italia expulit: Troiam in Apuliæ finibus, vbi olim Hannibalis castra fuere, obsedit, & per deditionem accepit: Hungaros debellatos, ad fidem Christianam pertraxit:

Henetes

Henetos apostatas domuit: ecclesias ab eis dirutas restaurauit. Post mortem vir optimus & sanctissimus, in album deorum relatus. Obiit autem Bambergæ III. Id. Iulii. A.C.1024. ætatis suæ LV. Imperii XXIV. Ibidem tumulatus cum vxore CVNEGVNDA *Franconiæ stirpis Palatinæ: cuius virginitas nunquam violata à multis affirmatur.*

BRVNO *Episcopus Augustanus, obiit Ratisbonæ A.C.1027.*

GISALA *Stephano Regi Vngariæ nuptum tradita.*

HEDVIGIS *consors Luitberti Burggrauii Magdeburgii.*

GERBIRGA *Abbatissa Chimensis.*

SOPHIA *Abbatissa Padebornensis.*

BRVNONEM Marchionum siue Palatinorum Saxoniæ, de quibus alibi, conditorem: mortuum A.C.1006.

LVITGARDEM Burchardo Duci Sueuorum } nuptas.
ADELHEIDEM Burchardo Comiti Geisenhusano } nuptas.

HELICAM Abbatissam Patauiensem.

GERBIRGAM Abbatissam Gandersheimensem.

BRVNO *Archiepiscopus Coloniensis, obiit Compendii V. Id. Octob. A.C.965.* alij volunt hunc Brunonem fuisse Epm Augustensem; ac obijsse Ao.1031. 8 Maij. ibidem S. Mauritij templo sepultum.

GERBVRGIS *Giselberto Lotharingiæ Duci in vxorem data, nupsit exinde Ludouico Transmarino Regi Francorum.*

ADELHEIDIS *Hugoni Magno, Comiti Parisiorum* } *elocatæ.*
RIXA *Arnulpho Duci Bauariæ, Arnulphi Mali F.* } *elocatæ.*
HEDVIGIS *Eberhardo Comiti Eberstenio, Sueuo* } *elocatæ.*

MATHILDIS *Abbatissa Quedlinburgensis, obiit A.C.942.*

TANQVARDVS *autem, matre Hatteburga moniali, natus: Othonis* I. *Cæsaris imperium detrectans: Heresburgi obsessus, à militibus confossus est A.C.937.*

IV.

CONRADI SALIQVI.

Ex prosapia veterum Gibellinorum, quæ origine Francica est.

CONRADVS Sapiens, Dux Franciæ & Lotharingiæ, Comes Vormatiæ: à socero Othone I. Imp. cuius filiam LVIDGARDEM vxorem habuit, quòd in ipsum conspirasset, Reipub. hostis iudicatus: capta Ratisbona, supplex multis lacrymis culpam deprecatus: pro Repub. Christiana se deuouit: in Vngarósque, qui tum populabundi in Germaniam irruperant, profectus in acie ad Lycum amnem non procul Augusta gloriosa victricique morte occubuit A.C.955. Cadauer Vormatiam delatum, ibidemq; humatum.

OTHO ducatus agro, magna ex parte à Præsulibus Herbipolensibus occupato, Franconiæ se duntaxat Comitem scripsit.

HENRICVM Comitem Ostrofranciæ nonnulli HERMANNVM nominant: & pronepotem faciunt Conradi Sapientis ex filio Othone, nepote Cunone. Vxor ADELHEIDIS.

CONRADVS Dux Carinthiæ, obiit A.C.1012.

CONRADVS, quòd originis esset ac sanguinis Francici; à Francis Saliis, veteribus Salæ amnis accolis, SALIQVVS cognominatus: Franciæ Orientalis & Sueuiæ Dux, ab Henrico Claudo Imp. pientissimo Germanorum Principum suffragio, successor nominatus, pacata Germania, Mediolanum milite conscripto diuturna obsidione pressit: Episcopo inde seditionis auctore exilio mulctato, motis castris Romam profectus: à Pontifice Ioanne aurea corona & Imperii titulis est ornatus. Vir acer consilio, manúque strenuus, carus Principi-

GEBHARDVS Comes Franciæ Orientalis, à fratre in album Pontificum Ratisbonensium adscriptus, & ab Henrico III. Cæsare, Campodunensi Rhætorum monasterio donatus: Vngariam cum copiis petiit, Petro Regi contra Abam tyrannum suppetias laturus: vbi Haymburgum Austriæ oppidum in finibus extruxit: ipsósque Vngaros cum impedire conatos,

bus, populo acceptior, Reipub. ſalutaris: qui maiorum exemplo Eccleſias, multiplici quamuis ſuperſtitione iam obrutas, fouit: in Pannonas & Polonos feliciter pugnauit: Francos, Gallos, & Bohemos tumultuantes compeſcuit: Imperium à maioribus acceptum virtute & ſapientia ſtabiliuit; nec non Burgundiæ reſtitutione auxit. Traiecti apud Friſios Quinquagenalia celebrans, repentina inopinatáque morte deceſſit pridie Non. Iunii A.C. 1039. In templo Spirenſi, quòd magnificè extruere cœpit, cum dulciſſima coniuge, filio, nepote, & pronepote ſepultus. GISELA vxor Vandaliæ Duciſſa, priùs Brunoni Marchioni Saxoniæ, inde Erneſto Sueuo maritata: tertiùm iam viduata, obiit XVI. Kal. Martii A. C. 1043.

magna ſtrage in fugam vertit. Diem obiit A.C. 1061.

HENRICVS III. cogn. Niger, Dux Franciæ & Bauariæ: à patris morte Imperium capeſſens: ante omnia Bretislaum Bohemiæ Principem bello fatigatum, tributum annuum ſibi pendere coegit: Petrum Hungarorum Regem à ſuis expulſum, regno reſtituit: apud Capuam Saracenos vicit: aduerſus quos eandem nouo præſidio firmauit. Cæterùm quoniā princeps fuit bonus & ſalutaris: maieſtatem Imperii & iura, contra Pontificum artes ac molitiones, & defendit acriter, & conſeruauit feliciter. Etenim cùm alia ſtatuit ad Imperii tranquillitatem neceſſaria: tùm vetus interdictum, de non creando Pontifice abſque Imperatoris aſſenſu denuo ſanciuit. Cuius abrogandi cauſa nullum non mouerunt lapidem Pontifices: vrbem Romam variis ſeditionibus implicando: & in Germania horrenda bella contra Impp. excitando. Idéoque tribus teterrimis monſtris, Benedicto IX. Syluestro III. & Gregorio VI. Synodi ſententia deiectis: Pontificiæ ſedi præfecit Suidigerum Bambergenſem epiſcopum, quem Clementem II. dixere: à quo Imperii corona exornatus eſt. Rebus in Italia compoſitis: domum reuerſus, Goslariæ florenti ætate deceſſit III. Non. Octobris A.C. 1056. quadragenario minor XXII. diebus. Sepultus Spiræ. Vxores habuit duas: quarum CVNEGVNDIS Anglica, Cynetonis Regis F. paulo poſt nuptias peſte eſt extincta XVII. Kal. Sextil. A.C. 1039. AGNES filia Gulielmi Ducis Aquitaniæ Romæ obiit A.C. 1064. ſepulta in æde D. Petronellæ.

IVDITHA vxor Azonis IV. Marchionis Eſtenſis.

BEATRIX Bonifacio Marchione Lucenſe & Ferrarienſe, priore marito, fatis abſumto: nupſit Gotefrido Lotharingo, homini inquietiſſimo.

CONRADVS Bauariç regno deſtinatus: quadrimus obiit A.C. 1050.

HENRICVS IV. Imp. puer ſeptennis ſub AGNETÆ matris, virilis ingenii fœminæ, tutela quinque annos res Imperii adminiſtrauit. Qua poſtea conſpiratione quorundam Saxoniæ principum, maturam illius ſapientiam grauéſque mores metuentium, amota: ipſe penè puer quaſi è cunis ad gubernacula extruſus: & crudeliſſimis ſuorum odiis, perfidioſiſſimis Pontificum machinationibus atque inſidiis, difficilimis bellis externis ac domeſticis obiectus eſt. Ex domeſtica itaq; matris diſciplina contra fortiſſimos hoſtes in aciem productus: Belæ copiis magna ſtrage fuſis diſiectíſque, Salomonem Vngariæ Regem, ſuum ſororium, in regnum repoſuit. Inde in Sclauos Luſatios mouit, à quo bello feliciter confecto reuertentem, exceperunt ſeditioſæ conſpirationes Saxonum: quos & ipſos primo occurſu fudit ad Oneſtrum Turingiæ fluuium, auxiliis Rudolphi Sueui, Welfi Bauari, & aliorum. Videntes autem illi, Regem bellis tangi poſſe, non deiici; vexari, non ſuperari, ad criminationes conuerſi, peſſima & impuriſſima quæque in eum excogitarunt. Hinc Gregorius Hiltebrandus Pontifex nefarius, crudeliſſimè eum bis diris obſtrinxit atque deuouit: & quò ipſum de Imperii faſtigio deturbaret, ordines vniuerſos ſacramenti religione ſoluit, vnde bellum funeſtiſſimum, & toti Germaniæ exitiale exarſit. Rudolphum ergò Sueuum, æmulum

Filiæ tres:
SOPHIA Solomoni Vngariæ Regi & inde Vladislao Poloniæ Duci nupſit.
MATHILDIS conſors Rudolphi Rhynfeldēſii, Ducis Sueuorum.
ITHA ſiue Iuditha Leopoldo IV. Marchioni Auſtriæ elocata.

æmulum & Pontificiis artibus Regem inunctum, Henricus Cæsar tribus ordine prœliis superatum, nouissimo abscissa dextra lethaliter sauciauit in tantum: vt nimis serò perfidiam Pontificum detestando, naturæ debitum breui persoluerit. Armis inde in Hiltebrandum Pontificem, turbarum omnium facem, conuersis: coacta Brixiæ Episcoporum Synodo anathematum fulmina à Pontifice emissa, in auctorem retorsit: Vrbéque post biennii obsidionem vi capta, ipsum scelerum plurimorum infamia laborantem exauctorauit, surrogato illi Clemente, Episcopo Rauennate, à quo vnà cum vxore BERTHA Imperii coronam accepit A. C. 1084. prid. Kal. Aprilis. Ob filiorũ tandem suorũ impietatem & perfidiã (hos nãq; Pontificum, qui Gregorio successere, rabies in patrẽ optimum concitare nõ desinebat) mœrore animi summè debilitatus: Leodii vitæ finẽ imposuit VI. Id. Augusti A.C. 1106. quum regnasset annos quinquaginta, demptis vndesexaginta diebus: vixisset annos LV. menses octo, dies XXIIX. Imperator fortissimus & bellicosissimus, patriç amãtissimus, maiestatis Imperii vindex acerrimus: Carolis & Othonibus haud dubiè æquiparandus, qui sexagies bis acie dimicauit, qua in re omnes principes, vel ipsum quoque Cæsarem Dictatorem est supergressus: multiplices expertus difficultates, nunquam animum despondit: aut contra fidem Imperio datam aliquid suscepit. Cadauer eius Leodii conditum, Pontificis Romani furore iterum ex sepulcro extractum; & sarcophago lapideo inclusum, ceu hominis excommunicati toto quinquennio ante templum Spirense stetit, atque sepulturæ honore caruit. Vxores habuit duas: prior BERTHA F. Othonis Marchionis Italiæ obiit A.C. 1087. Moguntiæ primùm, deinde Spiræ sepulta. Cum altera PRAXEDI filia Regis Russorum, vidua Vdonis Marchionis Brandeburgii, nuptias celebrauit Coloniæ A.C. 1095. sed nullam ex hac prolem sustulit.

CONRADVS à patre Gubernator Italiæ constitutus, & iam regni hæres designatus, à Mathilde Italiæ ducissa persuasus, ad paternos deficiens hostes, regnũ inuasit, & quærendo patris sanguinem, impiè naturã impugnauit. Meritò ergo procerum sententia exhæredatus atque proscriptus, in Thuscia paulo pòst diem suum obiit A. C. 1099. ætatis suæ XXV. Florentiæ sepultus. Vxor N. filia Rogerii Normanni.

HENRICVS V. licet iuratus patri, & hoc summo beneficio affectus, quòd fratre præterito ipsi in Imperio successor esset destinatus: nihilominus tamen Pontificum furore stimulatus, impias illi inferre manus non est veritus. Quippe quem crudelissimis Pontificum exagitationibus grauiter afflictum, bello & armis infestans: Imperium illi non solùm extorsit, sed & vitam insuper eripuit, enecto illo doloribus animi. Cuius seditiosi parricidii iustas tandem pœnas dedit. Serò namq; cum Phrygibus sapiens, in quas se angustias coniecerit, iisdem Pontificum artibus est euersus, quibus ipse patrẽ excusserat. Cæterùm sub Imperii limine, bellum faciens Polonis, tributa ex pacto debita denegantibus: Libusium Silesiæ oppidum limitaneum cepit: Glogoniam frustrà oppugnauit: Boleslao Poloniæ Regi pacem dedit, sed à quo paulo pòst acerrimo prœlio est superatus, non procul à Vratislauia in campo Canino: cui nomen fecit concursus canum, post pugnam cadauera lanientium. Cum Saxonibus, à Pontifice ad nouas seditiones incensis, bino congressus prœlio: altero superior, hostium copias dissipauit: altero victus, magna suorum clade profligatus est. Rebus tandem in Germania superiore cõpositis, profectus Traiectũ, illi quoq; orç pacẽ redditurus: morbo periit XII. Kal. Iunii A. C. 1125. ætatis XLV. regni XIX. Spiræ inter maiores sepultus. Vxor MATHILDIS F. Henrici R. Angliæ obiit A.C. 1166.


CHRISTINA nupsit Vladislao Principi Silesiæ & Poloniæ A.C. 1121.

Filiæ tres:

AGNES Friderico Hohæstauffio Sueuiæ Duci elocata: eo mortuo, nupsit S. Leopoldo Marchioni Austriæ.

ADELHEIDIS Boleslao Criuousto, Polonorum Regi in matrimonium tradita.

BERTHA consors Marquardi Senioris Ducis Carinthiç & Marchionis Styriæ.



V.

RVDOLPHI RHYNFELDII.

Ex Comitibus Auentici, qui sunt Habsburgenses:

THEODORICVS Comes Auentici, Rapotonis F. ex dote vxoris RICHARDÆ, filiæ postremi Comitis Oningensis ad lacum Bodmanicum, Rhynfeldam à fundamentis extruxit.


CVNO Comes Rhynfeldensis, Aduocatus S. Blasii in Nigra sylua, ibidem sepultus cum posteris. Vxor ITHA.	MATHILDIS consors Luderi Marchionis Salisquellensis.	VLRICVS Comes Auentici & Lenzburgi: locupletator cœnobii Beronensis in Alsatia.

RVDOLPHVS Rhynfeldius, Dux Sueuiæ, vir domi forísque in omni virtutum genere præclarus: sed qui postea auaritia victus, & spe regni inescatus: ad hostes Cæsaris Henrici IV. defecit: à quibus ad Imperii fasces, sibi (vt exitus docuit) fatales, est pertractus. Etenim à Cæsare omnibus præliis victus; nouissimo ad Elistrum Mysiæ profligatus & lethaliter sauciatus, amissa dextra, Mersburgi breui pòst expirauit IV. Id. Octobris A. C. 1080. Ibidem regio more inhumatus.	ADALBERO ex monacho S. Blasii in Præsulem Vormatiensem electus.

Liberi eius:

ex ADELHEIDE, Othonis Marchionis Italiæ F. vxore prima:	ex *AGNE, Henrici III. Cæs. F.*	ex ADELHEIDE, Guilielmi Burgundiæ Comitis F.

OTHO, BERTHOLDVS post patris interitum ad Comitatum Rhynfeldensem reuersi: paucis interiectis diebus, insidiis & ipsi occubuêre, ἄπαιδες.	BERTHA Vlrico Brigantiæ Comiti nupta, peperit Rudolphum proauũ maternum Rudolphi I. Cæsaris.	*Nulli.*	MATHILDIS Ernesti Marchionis Austriç consors.	ADELHEIDA vxor Colomanni Regis Pannoniç.	AGNES nupsit Bertholdo Barbato March. ~~Duci~~ Zaringiæ.



VI.

LOTHARII SAXONIS.

E Comitibus Supplinburgi.

☞ *De hac familia consule Stirpem Querfordiam, in opere Genealogico Principum Germaniæ.*

BRVNO Comes Querfordius obiit A. C. 1008. XIV. Kal. Nouembris. Vxor ITHA.

GEBHARDVS Comes Querfordius. Vxor SOPHIA Comitissa Mansfeldensis.	DIETERICVS Comes.	BRVNO Canonicus Magdeburgius, à Prutenis ob religionem Christianam martyrio coronatus A.C. 1008. XVI. Kal. Martii.

MATHILDIS nupta Conrado Duci Carinthiæ.	BVRCHARDVS ex octo fratribus, quos omnes mater vno partu enixa est, solus superstes. Vxor VDA F. Ditmari Comitis Amersiebii.

Gerardvs nobilis Domin⁹ Querfortensis: conditor Comitum Mansfeldiorum: de quibus alibi.

Gebhardvs Comes Querfordius in Supplinburgo & Arnsbergo: occubuit in prælio contra Henricum IV. Cæsarem A. C. 1075. Vxor Hedvigis, F. Friderici Florenbachii Boii, Burggrauii Noribergii.

Reinhardvs Episcopis Halberstadensis: Lothario nepoti militauit ad Welfonis syluam contra Henricum V. Cæs. A. C. 1116.

Lotharivs Comes Querfordi ad Hercyniam, quòd Henrico V. Cæsari adhæserat cõtra patrẽ, ab eo nauatæ operæ præmium consecutus est Saxoniam vniuersam vna cum Electoratus dignitate: quam quum ille ab ipso iterum auferre conaretur, ad Guelphonis syluam strenuè eum debellauit & eneruauit. Eo defuncto, Moguntiæ in celebri Principum Germaniæ cõuentu Cæsar inauguratus: cum Conrado, qui post eum imperauit, ob imperiũ maximũ habuit dissidium. Quo S. Bernardi Clareuallensis opera sedato, aduersum Bohemos expeditionem tentauit: qua plurimos è suis amisit: & pax vtrinq; desiderata, vtrinq; etiam accepta est. In Italiam bis duxit exercitum, semel ad compescendos motus contra Innocentium II. propter electionem noui Pontificis, Romæ coortos: iterum contra Rogerium Siciliæ Regem, qui in bona Ecclesiæ inuolarat. His rebus compositis, rediturus in Germaniam per vallem Tridentinam, peste correptus obiit III. Non. Decemb. A.C. 1137. quum annos imperasset tredecim. Sepultus in cœnobio Lothariano cum Vxore Richsa, Henrici Pinguis Comitis Northemii F.

Conradvs nobilis Dominus Querfurdius, obiit ἄπαις A. C. 1141. Vxor Sophia Ducissa Sueuiæ.

Filiæ IV.

Vda Gebhardo Burchusiano nupta.

Richsa Comiti Cleuensi sociata.


Gertrvdis vxor Simonis I. Ducis Lotharingiæ.

Petronella consors Florentii II. Comitis Holandiæ.

Lotharivs infans mortuus.

Gertrvdis consors Henrici Superbi Ducis Saxoniæ & Boiariæ: & hoc defuncto, Henrici Ducis Austriæ; obiit A.C. 1144.


Hedvigis collocata Ludouico Barbato Lãdgrauio Turingiæ.



VII.

CONRADI SVEVI.

Ex gente Hohæstauffia.



Familiæ ἔκφρασις.

1. FRIDERICVS Hohæstauffius, militauit Henrico IV. Imp. contra Rudolphum Sueuum eius æmulum: quo cæso, in præmium nauatæ operæ accepit Sueuiam. Vir fortis, manuque fuit strenuus. Wigboldum Episcopum Augustanis impositũ, copiis cum Bauariæ proceribus coniunctis, Augusta pepulit: & Guelphum Bauariæ Ducem rebellem, Hochstadii iuxta Danubium magna clade superauit A. C. 1083. III. Id. Augusti. Ex AGNETE vxore, Henrici IV. Cæsaris filia ipsi nati

CONRADVS Sueuiæ Dux, Lothario Cæsari defuncto, qui cum antea de Imperio decertarat, Confluentiæ successor dictus: Henrico Superbo, æmulo, bello & proscriptione domito: maximum exercitum in Saracenos Christi hostes duxit A. C. 1146. Sed traiecto Bosphoro Thracio immaturè: Iconii in Lycaonia obsidionem soluere; réque infecta, maximo suo comitúmque dedecore & dispendio discedere coactus est: fraude & perfidia Emanuelis Græci Imperatoris, qui panem gypso tabefactum per summum scelus ipsis vendiderat. Bambergæ Italicam expeditionem parans, decessit XV. Kal. Martii A. C. 1152. post rei summam quindecim annis dexterrimè administratam. Sepultus Laureaci, quod cœnobium est in ditione Wirtembergensi. Princeps optimus, in bello strenuus, post victoriam clemens & facilis. Nota enim est, & omnium scriptorum monumentis celebratur eius pietas & clementia: qua, capto oppido Winspergo, vsus est in Guelphum Boium rebellem: quem non solùm cum ciuibus suis inuiolatum & incolumem dimisit: sed & pace constituta cum ipso amicitiam iunxit. Cæterùm Noribergam & Lubecam, celeberrimas Germaniæ vrbes, instaurauit & exornauit, gradúmque iis struxit ad eam maiestatem, quam hodie præ se ferunt. Ex GERTRVDE, filia Gebhardi Comitis Sultzbachici duos genuit filios: quorum

HENRICVM ante expeditionem Asiaticam penè puerum Imperii consortem fecit: sed qui ante reditum patris è vita migrauit.

FRIDERICVS Dux Sueuiæ, à patre iam animam acturo, commendatus patrueli Friderico Barbarossæ: eidem in Italia militans, cum multis aliis peste periit in obsidione vrbis Romæ.

Fridericus Dux Sueuiæ stemma propagauit.

LVIDGARDIS vxor Conradi Magni, Marchionis Misniæ, obiit A. C. 1146.

2. FRIDERICO Duci Sueuiæ nati

ex IVDITHA Henrici Superbi, Saxoniæ & Bauariæ Ducis F. vxore prima,

Fridericus I. *Ænobarbus*, IMP.

ex AGNETE Saræpontana, nepte Alberti Episcopi Moguntini ex fratre Friderico Comite Saræpontano, vxore altera:

CLARA siue Claricia, Ludouici Thuringiæ Landgrauii vxor.

BERTHA consors Matthæi Ducis Lotharingiæ.

CONRADVS Dux Sueuiæ, à Friderico fratre Palatinus Rheni constitutus, post soceri sui obitum: naturæ debitum persoluit A. C. 1168. Vxorem habuit ELISABETHAM, Cunonis Boiorum Reguli & Palatini Rheni F. His nati sunt

FRIDERICVS Dux Sueuiæ, Friderico Cæsari suo patruo contra Alexandrum Pontificem militans, peste periit A. C. 1169. ἄπαις. Vxor RICHSA Henrici Leonis Saxoniæ Ducis F. postmodò nupsit Canuto F. Woldemari Regis Daniæ.

AGNES (nonnulli Clementiam nominant) nupsit Henrico Iuniori Duci Saxoniæ & Bauariæ, Henrici Leonis F.

3. FRIDERICVS I. Ænobarbus, Dux Sueuiæ, Conradi patrui suffragio, vnanimíque reliquorum procerum consensu, Imperio destinatus: Francofurti insignibus regalibus acceptis, nihil priùs habuit, quàm vt domi pacem sine publico motu, & consilio potiùs quàm armis constitueret. Litem itaque inter Henricum Austriacum vitricum, & priuignum Henricum Leonem Saxonem, de Boiariæ principatu contendentes, ne in bellum exiret, summa prudentia diremit: Austriaco, vt suo iure cederet, persuadendo; fines ditionis amplificando; titulúmque ducis ipsi decernendo. Non multo pòst Saxonicos motus, inter eundem Henricum Leonem & Albertum Vrsum, de principatu contendentes cõposuit. Composuit & controuersias, inter Suenonem, Canutum, & Woldemarum, Danicos Reges; de regno magno cum detrimento vicinarum terrarum, quæ erant Imperii, inter se dimicantes. Arnoldum Moguntinum Episcopum, & Hermannum

num Palatinum, priuatis inter se dissidiis totam ad Rhenum commouentes Germaniã, & pacem publicam petulanter turbantes, armis compescuit: Poloniæ Regem, ob non soluta annua tributa, mulcta bellum redimere; & exercitui, quem instruebat in Mediolanenses, præsidiarios equites adiungere coëgit. Cæterùm maius ipsi negotium exhibuit Mediolanensium & Pontificum perfidiosa conspiratio: quæ septies eum cum exercitu in Italiam pertraxit. Iis autem expeditionibus Cremonam & Derthonam, quòd ipsum superbè & contumaciter vrbe excluserant; Mediolanum item, cui aliquoties antè pepercerat, quum semper ad ingenium rediret, solo æquauit: defectionis auctoribus securi percussis: Galliam Cisalpinam omnem vastauit: Genuam & Anconem expugnauit: Romanos ad Tusculum ipsi infestis armis occurrentes, magna strage cæcîdit: Vrbem ipsam primo impetu cepit: Alexandrum Pontificem sceleratum exauctorauit, & Roma fugere compulit. Sed cui breui pòst, motus φιλοστοργίᾳ erga Othonem filium apud Venetos captiuum, supplex factus: abs eo summa cum ignominia, licet in causa meliore, absolutionem petiit. Pacata hoc modo Italia, veterano milite non multo, at præstantissimo conscripto in Asiam contendit aduersus Saracenos, Christianæ religionis hostes perpetuos: victricibúsque armis Thracia, Asia, Cappadocia, Armenia, Cilicia peragrata; & Ancone hostium regia primo impetu expugnata: Selephii siue Serræ fluminis impetu, in quod lauandi causa se demiserat, oppressus, indignissima morte periit IV. Id Iunii A.C. 1190. quum imperii tenuisset fasces annos XXXIIX. menses tres, dies XXVI. Princeps strenuissimus, & victoriosissimus, patriæq; amantissimus, in quo magnitudo animi atque consilii, fides, constantia, moderatio, pietas adeò excelluerunt, vt nulla ei virtus, magno viro & optimo Principe digna, defuisse videatur. Cadauer filius Fridericus honorificè sepeliuit in Tyro. Vxores habuit duas. Primam ADELHEIDEM F. Theobaldi Marchionis Vogburgii in Bauaria ob propinquitatem de sententia collegii Constantiensis repudiauit. Ex altera, BEATRICE filia Reginaldi Comitis Vesontionis in Burgundia, nepte Simonis Lotharingi, ipsi nati

Henricus VI. *Imp. & stemmatis propagator.*

FRIDERICVS *Dux Sueuiæ, post obitum patris belli Syriaci mole in se translata, Antiochiam præsidio firmauit: inde in Cœlesyriam profectus, Laodiceam seditione laborantem, & ad Saracenos inclinantem, pacauit: Berytum & plurimas alias Syriæ vrbes, quæ ab inclinata & penè iacente Christianorum fortuna ad Saracenos desciuerant, recepit. In Ptolemaidis tandem oppugnatione, peste extinctus est A. C. 1197. Desponderat ipsi pater filiam Regis Vngariæ; sed quæ ante nuptiale sacrum obiit.*

OTHO *Comes Burgundiæ, hæres maternæ dotis: Alexandrum Pontificem Roma fugientem insecutus: ad Solborium promontorium in Peranensi tractu ad oram Istriæ, cum Venetis infelici Marte conflixit: à quibus interceptus, captiuúsque Venetias abductus: non nisi durißimis atque iniquißimis pacis conditionibus à patre redimi potuit.*

CONRADVS *Sueuiæ Dux.*

PHILIPPVS *Thusciæ & Sueuiæ Dux, princeps natura bonus, sapiens, moderatus, acer & magnanimus: post obitum Henrici fratris, per seditionem ab vna Electorum parte Imperator electus: multos Germaniæ principes, bello à se deuictos iurare in sua verba coëgit. Cum Othone Brunsuigio, suo æmulo, ob Imperium satis cruento decertauit marte: classicum canente ipso Pontifice Romano: quo postea placato & mediatore, per filiæ nuptias inter eós conciliata est amicitia. Rebus ita compositis, Bambergæ in conclaui, vbi pòst venæ incisionem corpus quiete reficiebat, nefariè & insidiosè ab Othone Wittelsbachio Palatino obtruncatus interiit X. Kal. Iulii A.C. 1208. quum annos imperasset nouem, menses tres, dies quatuordecim. Sepultus primò Bambergæ: inde à Friderico II. Spiram translatus. Ex* IRENE *Isaacii Angeli Imp. Byzantini F. quatuor genuit filias:*

CVNEGVNDEN Wenceslao Bohemo, Ottocari F.
ETHISSAM Duci Brabantiæ, & deinceps Regi Hispaniarum,
N. filio Richardi, Thusciæ & Marchiæ Anconitanæ,
BEATRICEM Othoni IV. Brunsuigio, IMP.
} elocatas.

SOPHIA *Gulielmo IV. Marchioni Montisferrati sociata A. C. 1186.*

BEATRIX *Abbatissa Quedlinburgensis.*

4. HENRICVS VI. Dux Sueuiæ, patre viuente Rex Romanorum & successor in Imperio designatus: domesticis motibus compressis, Italiam ingressus, & à Celestino Pon-

tifice coronatus: Apulos Siculósque, defectionem molientes, multis præliis compescuit: & in auctores exquisitis suppliciis animaduertit, quibusdam excoriatis: aliis excæcatis, & in palos actis; nonnullis, qui regnum affectarant, ignita corona redimitis. Vnde ob hanc suppliciorum atrocitatem, Asperi cognomentum meruit. In celebri apud Vangiones conuentu fratribus, Conrado Sueuiam, Philippo Hetruriam, & post illius obitum, Sueuiam quoque concessit: Henrico Leoni, Saxonia Bauariáque exacto, gratiam faciens, Brunsuigam & Luneburgum reddidit. Ex Germania in Siciliam reuersus: dum contra Saracenos classem cogit, Messanæ febre ardenti, non absque veneni suspicione periit III. Kal. Octobris A.C. 1198. quum annos imperasset octo, menses tres, dies vndeuiginti. Panormi sepultus. Princeps patri ingenio & moribus multum dissimilis: voluptatibus suis magis, quàm Reipub. addictus: priuatim in libidinem procliuior: publicè in vindicandis iniuriis asperior. Nuptias celebrauit cum CONSTANTIA Rogerii Siciliæ Regis F. virgine quinquagenaria, Pontificis auctoritate è monasterio S. Mariæ apud Panormum, cuius antistes erat, educta VI. Kal. Februarii A.C. 1186. quæ ad eum Siciliæ regnum attulit: & vita excessit III. Kal. Iunii A.C. 1222. Mater ex ipso facta

Friderici II. *Imp. Rom. & Regis Siciliæ.*

MARIÆ Conrado Bohemiæ Duci & Marchioni Morauiæ collocatæ.

5. FRIDERICVS II. Siciliæ, Sardiniæ, Sueuiæ Rex; ab Imperii proceribus, qui ipsi in cunis adhuc vagienti ad preces patris Henrici VI. fidem tabulis signatis adstrinxerant, ex Sicilia euocatus: recepto Brisaco, Haganoa expugnata, & Othone Cæsare procul in Saxoniam pulso; omni ad Rhenum Germania magna celeritate occupata: Aquis primò; dehinc Othone mortuo, Romæ quoque Imperiali diademate est donatus. Expeditione in Asiam suscepta, rem feliciter gessit: Hierosolyma cum locis aliis plurimis recuperata: & Sultano ad decennii inducias adacto. Bello maximo ad hunc modum sine sanguine confecto; Pontificis Gregorii IX. nefaria iniquitate coactus, in Italiam rediit; dissimulatis iniuriis, quas pertulisset absens. Vbi quum ne sic quidem placato vti Pontifice posset: nec pertinax illius superbia supplici penè deprecatione procerum Germaniæ vinci, diras, quas in ipsum Brundusii hærentem Pontifex detonarat, centum viginti millibus vnciarum auri redemit: séque anathemate exoluit. Octauo ab hinc anno, Imperatore post repressas in Sicilia seditiones in Germaniam profecto, quum Pontifex ad suas artes & odia rediret, totísque viribus in commune bellum incumberet: Imperator tot atrocibus iniuriis lacessitus, magna & inopinata celeritate contractis copiis terrestribus, Italiam ingressus: infesta aduersáque omnia oppressit, euertit, disiecit, obtriuit: vrbes Longobardiæ, Æmiliæ, Hetruriæ, Vmbriæ plerasque partim deditione spontanea cepit, partim vi expugnauit, ac direptionibus incendiisque deformauit: Cardinales in mari plurimos, qui ex vrbe Veneta & Gallia aduenerant, per Encium nothum classe circumuentos intercepit: quorum aliquos suo merito suppliciis affecit, aliquos carceribus inclusit, plerosque priuatione beneficiorum mulctauit. Quin & ad ipsam Vrbem accessit: atque exercitum Pontificis cruce signatorum penè concidit: sed Vrbi tamen pepercit. Seditiosarum autem molitionum telam, aduersus ipsum à Gregorio Pontifice institutam, præclarè pertexuit & absoluit Innocentius IV. à quo in Concilio Lugdunensi, pessimo Christianorum fato, excommunicatus, Imperiique dignitate priuatus est. Cæterùm quum se non ab amicis solummodò, sed ab ipsa etiam fortuna destitui videret: (quippe ad Victoriam vrbem à Montelongo legato Pontificio grauem ipse cladem perpessus; Encius filius ad Bononiam superatus, viuus in hostium venerat potestatem) reditum parans in Siciliam febre ardentissima ex propinato veneno correptus: vitam finiit Farentini vrbe Apuliæ: à Manfredo notho (vt quidam auctores sunt) iniecto in os puluino suffocatus A.C. 1250. Idib. Decembris, ætatis suæ LVII. completo, tredecim demptis diebus. Panormi sepultus. Princeps auo simillimus, & summis illis omnium temporum heroibus annumerandus, qui cum virtute & gloria bellica excellentem in omni doctrinarum genere eruditionem coniunxere. Quippe qui ingenio ad omnes artes fuit promptissimo, adeo vt Italicam, Germanicam, Gallicam, Græcam, Saracenicam linguas egregiè calleret. Animo autem fuit magno, excelso, inq; periculis intrepido: in vtraq; fortuna constans & moderatus: acer in præliis ac prouidus: manu & consilio promtus: à crudelitate alienissimus. Vxores eius alii tres, alii sex numerant: quarum

rum prior CONSTANTIA Aragoniæ Regina, Ferdinandi F. III. Kal. Iunii A. C. 1222. in viuis esse desiit. Altera IOLE Ioannis de Bregna F. dotis loco titulum Regis Hierosolymitani, Siculis & Neapolitanis Regibus attulit. (Tertiam AGNETEM Othonis Ducis Muraniæ F. repudiatam, duxit Vlricus Carinthiæ Dux. Quarta ipsi tribuitur RVTHENA Boia F. Othonis Comitis Wolffershusii: Quinta ISABELLA F. Ludouici Seueri, Palatini Rheni. Sed harum trium alii non meminere) Vltima ISABELLA, quam alii Mechtilden nominarunt, F. Ioannis Angliæ Regis, diem obiit A.C. 1241.

☞ Liberi eius legitimi:

HENRICVS Senior, primogenitus ex Constantia: duodecennis à patre Augusto procerum suffragiis in Imperio consors dictus, & ab Engelberto Archiepiscopo Coloniense Aquisgrani in Regem Romanorum consecratus: quod Pontificum impulsu Imperium affectasset, & vrbes Longobardicas ad defectionem sollicitasset: de sententia procerum Germanicorum condemnatus, perpetuisque carceribus addictus: periit Consentiæ in Calabria A. C. 1235. ætatis suæ XXIV. Pater factus ex vxore MARGARETA Leopoldi Gloriosi Austriæ Ducis F. quæ postea nupsit Othocaro, Regis Bohemiæ filio, gemellorum

HENRICI Iunioris, iuuenis generosi & excelsi animi, adque omnia summa nati; à patruo Conrado, regno Siculo inhiante, clam iugulati A.C. 1253.

FRIDERICI à Manfredo veneno necati A.C. 1254.

IORDANES matre Constantia genitus, patrem morte præuertit.

CONRADVS IV. Imp. matre Iole Regina Hierosolymitana natus: à patre Cæsar & successor designatus: sed ab Innocentio IV. Pontifice pòst excommunicatus est: & contra ipsum patrémque excitatus Henricus Landgrauius Turingiæ: à quo ad Francofurtum repulsus atque profligatus, fugit Ratisbonam: vbi aliquantò pòst noctu à sicariis quibusdam, quos Episcopus Ratisbonensis subornarat, oppressus: sociis reliquis comprehensis & trucidatis, ipse sub scamno delitescens, diuina protectione hostes fefellit & euasit. Sed quòd Sueuos offendisset, collata in eos culpa infelicis ad Francofurtum prælii: nec reuerti domum fuit ausus: nec in Germania tentare quidquam potuit, nullis nisi Bauaricis auxiliis subnixus. Patre mortuo, in Italiam profectus, vrbes, quæ à patris obitu ad Innocentium Pontificem desciuerant, auxilio Tancredi recepit: in quas multa sæuitiæ exempla statuit. Neapolim enim vi expugnatam solo æquauit: Capuam direptam muris & propugnaculis nudauit: Aquinum incendiis vastauit. Inde in Germaniam reuersus, quum omnia aduersa sibi atq; infesta offenderet: filio commendato Boio, Italiam repetit: vbi à Manfredo fratre veneno est peremptus XI. Kal. Iunii A.C. 1253. Vir inhumanus & crudelis, prudentia cæterísque virtutibus patri dissimilimus, formæ tamen præstantia vel Absoloni conferendus. Ex ELISABETHA vxore, Othonis Ducis Bauariæ & Rheni Palatini filia, quæ postea nupsit Menardo Comiti Goritiæ, vnicum genuit F.

CONRADINVM post Manfredi interitum crebris Italorum legationibus è Germania (degebat autem Landshutæ apud auunculũ) euocatum, vt auitum paternumq; reciperet regnum. Comitibus itaq; Longobardis, Sueuis, Thuscis, & Friderico Austriaco, Italiam petiit: vbi Romæ à Senatu populóq; magnificentissimè exceptus, inde confluentibus ad eum vndique Italiæ proceribus, Siciliam adiit. Nuceria deditione potitus, mouit in Carolum Andegauensem: à quo in Marsis acie victus & captus, Neapoli post arcta quinquaginta vnius dierum vincula, publico iudicio damnatus, & cum reliquis proceribus in foro securi percussus est VII. Kal. Nouembris A. C. 1268. Vita illi annorum septemdecim, mensium septem, diei vnius.

HENRICO Iuniori, matre Isabella genito, pater regnum Siciliæ decreuerat testamento, si peruenisset ad iustam ætatem.

MARGARETA Alberto Landgrauio Turingiæ, Marchioni Misniæ nupta, mœrore obiit A.C. 1270.

CONSTANTIA consors Ludouici Landgrauii Hassiæ.

☞ Nothi, matre BLANCA Marchionissa Montisferrati geniti:

ENCIVS Sardiniæ Rex & Nauarchus, Bononiam oppugnans, viuus in hostium venit manus: apud quos caueæ ferreæ & cancellatæ inclusus, post XXII. annorum captiuitatem, in vinculis expirauit pridie Iduum Maii A.C. 1272.


MANFREDVS Tarenti Princeps, vir fraudulentus & parricida nefarius: patrem puluino in os iniecto, fratres Conradum & Fridericum veneno sustulit: Conradini nepotis cæde commentitiis literis diuulgata: eius regna, Campaniam, Apuliam, Calabriam,

Siciliã successionis iure sibi vendicans, milite è suis & Saracenis collecto, præsidia Pontificia ad Foggiam vrbem ex improuiso oppressit: quæque in Italia regno Neapolitano coniuncta Pontifices aulserant, recepit: mox etiam Siciliam adiunxit. Ab Vrbano Pontifice diris deuotus omnibus, ad Beneuentum cum Carolo Andegauensi manus conseruit: vbi à plerisq; desertus & proditus, fretus viribus corporis, maxima hostium strage edita, haud inultus occubuit IIX. Id Februarii A.C.1266. Filiam habuit

CONSTANTIAM, vxorem Petri Arragonum Regis: cui Conradinus vltimo iam capitis supplicio afficiendus, regna suo iure legauit: qui paucis quoque ab hinc annis Siciliam repetere cœpit.

FRIDERICVS *Antiochiæ princeps, à Manfredo fratre veneno necatus A.C.1253. vnicum reliquit F.*

CONRADVM cogn. Caputum Principem Antiochiæ, qui communicato cum Conradino consilio, Saracenicis auxiliis Siciliam recepit vniuersam: Panormo, Messana, & Syracusis exceptis. Sed qui tandem defectione Siculorum, à Guidone Montisfortis Comite captus, viuusque Carolo Andegauensi transmissus: oculis priùs erutis, fœdo suspendii supplicio est affectus A.C.1269.



IIX.
OTHONIS ET FRIDERICI BRVNSVIGIORVM.

Luculentiùs hanc explicauimus in altero opere Genealogico sub Tit. stirpis Atiæ.

HENRICVS Leo, potentissimus haud dubiè totius Europæ Princeps: bellator fortunatissimus & victoriosissimus: qui ab Albi ad Rhenum, à iugis Harciniis ad mare Balthicum imperium suum extendit: quòd Fridericum Barbarossam Cæsarem in expeditione Mediolanensi perfidè deseruisset; Bambergæ frequenti Principum Senatu criminis læsæ maiestatis condemnatus atque proscriptus, diu in Anglia exulauit apud socerum: cuius intercessione parte ditionis amissæ recuperata: diem clausit Brunsuigæ IIX. Id. Sextil. A.C.1195. Sepultus ibidem in æde Blasiana, cum coniuge MECHTILDE, Henrici Angliæ Regis F.

HENRICVS Dux Saxoniæ & Bauariæ, Palatinus Rheni, obiit A.C. 1227. Vxor AGNES F. Conradi Sueui, Palatini Rheni.

OTHO IV. Saxonum Dux per seditionem ab altera Electorum parte IMP. lectus in odium Philippi: ei defuncto à Germanis primatibus ad tollendam discordiam facilè est suffectus. Imperium tamen non diu possedit: deiectus scilicet, & anathematis fulmine ictus à Pontifice. Friderico II. occursurus, à suis desertus, procul in Saxoniam est pulsus. Vbi reparatis viribus, Belgicum quidem est aggressus, & Aquisgranũ obsidione cinxit, sed à Francis profligatus, spõte ab Imperio destitit: in patriámque inglorius reuersus, paulo pòst mortem obiit A.C.1218. v. Kal. Maii. Vxor MARIA Henrici Boni Ducis Brabantiæ F. cui pòst maritus repudium misit.

HELENA consors Alberti I. Saxoniæ Septemviri.

MARIA vxor Woldemari Ducis Slesuigii.

GVLIELMVS Dux Saxoniæ, à patre constitutus hæres ditionis Luneburgensis & Saxoniæ inferioris: obiit VII. Kal. Iulii A.C. 1213. Lunæburgi. Vxor HELENA Woldemari Regis Daniæ F.

OTHO Princeps Saxoniæ Dynasta Luneburgi, Woldemaro Daniæ Regi suo auunculo militans contra Lubecenses, capitur ab Henrico Comite Suerinensi. Friderico II. Imperatori, cuius præsidium Brunsuiga eiecerat, reconciliatus: primus ab eo Dux Brunsuigæ & Luneburgi est dictus. Obiit v. Id. Iunii A.C. 1252. Vxor MATHILDIS Alberti Marchionis Brandeburgii F.

IOANNES Dux Luneburgi obiit A. C. 1276. Id. Decembris. Vxor AGNES F. Gerardi I. Comitis Holsatiæ. De eius prosapia alibi agemus.

ALBERTVS Magnus, Dux Brunsuigæ & Luneburgi, princeps bellicosus; post multas victorias ab Henrico Misniæ Marchione captus, sauciatus, & in custodia sesquibiennium integrum detentus: octo millium argenti marcarum λύτρῳ, & aliquot arcium cessione se redemit. Obiit A.C. 1279. Vxor ALEXINA Aldubrandini Marchionis Estensis F.

ELISABETH vxor Gulielmi Hollandi, Regis Romanorum.

ADELHEIDIS vxor Henrici Landgrauii Hassiæ, Cæsaris electi.

HENRICVS Morosus siue Mirabilis, progenitor Ducum Brunsuigiorum in Grubenhaga, de quibus alibi, obiit A.C. 1322.

ALBERTVS Pinguis, Dux Brunsuigius & Luneburgius, in diuisione Gothingam sortitus, obiit A.C. 1318. Brunsuigę sepultus. Vxor RICHSA Herulorum & Vandalorum Ducissa.

GVLIELMVS in diuisione Brunsuigam cum Wolferbyto sortitus, decessit iuuenis & cœlebs A. C. 1292.

OTHO Largus Dux Brunsuigius obiit A. C. 1334. Vxor AGNES F. Conradi I. Marchionis Brandeburgii.

AGNES vxor Barnimi III. Ducis Pomeraniæ, obiit A. C. 1371.

ERNESTVS Dux Brunsuigius & Luneburgius, acie captus à Magdeburgiis A. C. 1373.

MAGNVS cogn. Pius & Sangerhusius, Dux Brunsuigius, obiit A. C. 1368. Vxor AGNES Marchionissa Landsbergæ.

Ludouicus Dux Brunsuigi⁹, Dynasta Gothingensis, ducta in vxorem agnata MATHILDE Gulielmi F. obiit ἄπαις A.C. 1358.

MAGNVS Torquatus & Insolens dict⁹, Dux Luneburgius, princeps magno animo, sed ingenio admodum inquieto, & insolenti, bellator infelix: periit in monomachia cum Othone Comite Schoumburgio A. C. 1373. IIX. Kal. Sextiles. Vxor CATHARINA, Woldemari Electoris Brandeburgii F.

ALBERTVS Archiepiscopus Bremensis, obiit A.C. 1395.


FRIDERICVS Dux Brunsuigius, princeps prudens & bellicosus, Francofurti ad Mœnum deliberato consilio ab Electoribus IMP. dictus: in reditu à Comitiis ab Archiepiscopo Moguntino, cum quo ipsi veteres simultates erant, ad Frislariam insidiosè circumuentus est & oppressus Non. Iunii A. C. 1400. Brunsuigæ sepultus. Vxor ANNA F. Wenceslai Electoris Saxoniæ.

ANNA vxor Friderici Austriæ, Comitis Tyrolis.

CATHARINA elocata Henrico Comiti Schwartzeburgio.

BERNARDVS Dux Brunsuigius & Luneburgius, cōditor Ducatus Luneburgi Gubernatorum, de quibus alio loco, obiit A. C. 1434. Vxor MARGARETA F. Wenceslai Saxoniæ Electoris.

HENRICVS Dux Brunsuigius & Luneburgius, condidit principes, qui hodie Brunsuigam tenēt: & decessit Olseniæ VI. Non. Octobris A.C. 1416. Vxores eius: SOPHIA Pomerana, Wartislaui F. & MARGARETA F. Hermanni Landgrauii Hassiæ.



IX.

HENRICI LANDGRAVII THVRINGIÆ.

LVDOVICVS Barbatus, ex Comitibus Aureliæ in Galliis oriundus: mutatis laribus, matris hæreditatem in Saxoniæ finibus adiit: seque primus Hassiæ Thuringiæq; Landgrauium scripsit. Obiit A. C. 1055. Vxor CÆCILIA Ducissa Saxoniæ.

LVDOVICVS II. cogn. Saltator, Turingiæ & Hassiæ Landgrauius: arcem Warceburgum iuxta Isenacum extruxit: & cum aliis Saxoniæ proceribus Rudolpho Sueuo adhærens, adhærens, Henrico IV. Cæsari multum negotii facessit. Obiit A. C. 1123. ætatis LXXIII. Vxor ADELHEIDA F. Othonis Marchionis Stadensis, vidua Friderici Palatini Saxoniæ.

ALBERTVS Præses Turingiæ.

BERENGARIVS Comites Honstenios condidisse existimatur.

Filiæ tres: HILTEGARDIS siue Luidgarda nupsit Popponi Comiti Hennæbergio.

ADELHEIDA Comitissa à Wyra.

VTA Comiti Lindebergio nupta, genuit Berengarium Comitem, Reinhartborni sepultum: Auia est Ludoici Comitis de Zare; Conradi primi Comitis Honstenii, fundatoris cœnobii Ilfeldæ; & Theodorici Comitis de Berka.

LVDOVICVS III. Thuringiæ Landgrauius, obiit A. C. 1149. Vxor HEDVIGIS F. Lotharii Saxonis, Cæsaris Augusti.

OTHO Præsul Cizēsis.

HERMANNVS Comes.

ADELHEIDA nupta Vlrico Comiti Vinariensi.

LVDOVICVS IV. Thuringiæ & Hassiæ Landgrauius, muros Erfordiæ in contemptum Archiepiscopi Moguntini, per Fridericum Barbarossam ea dignitate priuati, destruxit. Obiit A. C. 1173. Vxor CLARA soror Friderici Barbarossæ Imp.

FRIDERICVS Comes Zigenhæmius.

IVDITHA vxor Vladislai Regis Bohemiæ.

ADELHEIDA virginem egit Vestalē.

LVDOVICVS V. Landgrauius Hassiæ & Turingiæ, obiit ἄπαις A. C. 1193. Vxor GERTRVDIS F. Leopoldi VII. Marchionis Austriæ.

HERMANNVS Palatinus Saxoniæ, Hassiæ & Turingiæ Landgrauius, comes expeditionis Asiaticæ Henrici VI. Imp. obiit VI. Kal. Maii A. C. 1215. Vxores eius duæ: SOPHIA Othonis Maioris, Wittelsbachii Palatini Rheni F. & altera SOPHIA Saxoniæ Ducissa.

HENRICVS Comes Raspenburgius.

HENRICVS Landgrauius Thuringiæ, ab Innocentio IV. Pontifice contra Fridericum II. Imp. eiusq; filium excitatus: & à quibusdam proceribus Cæsar electus: ob Imperium cum Conrado ad Francofurtū acri decertauit prælio: quo pulso, progressus Vlmam, Conrado adhuc adhærentem, ob- †

LVDOVICVS VI. Hassiæ & Turingiæ Landgrauius: Fridericū II. Imp. in Palæstinam secuturus, Brundusii in Apulia febre extinctus est IV. Id. Sept. A. C. 1228. ætatis suæ XXIIX. à quo diebus abfuit duodequinquaginta. Ossa cœnobio Reinhartbornensi illata. Vxor eius S. ELISABETH, filia Andreæ Regis Vngariæ, obiit Marpurgi A. C. 1231. XIII. Kal. Decembris, ætatis suæ XXIIX. Ibidem

IVDITHA nupta Theodorico IV. Marchioni Misniæ, peperit Henricum Illustrem, primum suæ familiæ Turingię Lādgrauium. Sepulta in cœnobio Veterocellensi.

sidione

† ſidione cinxit, vbi ſagitta lethaliter i-ctus occubuit, eodem anno, quo Imperium accepit. Sepultus Iſenaci ad S. Catharinam A.C. 1246. Vxor ADELHEIDA, F. Othonis Ducis Brunſuigii.

* tumulata. Matrona hæc & pia & calamitoſa fuit: quippe quæ matrē Gertrudim amiſit gladii ſupplicio, maritum in locis externis propter nauigationem nauſea: filium domi veneno: ipſa inſuper ab Henrico leuiro poſſeſſione expulſa eſt: quæ tamen omnia virtute & ſapientia ſuperauit.

HERMANNVS vix duodeuigeſimum ætatis ingreſſus annum, ab improba quadam anu veneno eſt ſublatus, ſummo omnium luctu.

SOPHIA elocata Henrico Duci Brabantiæ, Haſſiam dotis nomine ad ipſum attulit.

X.

GVLIELMI HOLLANDI.

THEODORICVS primus Hollandiæ & Zelandiæ Comes factus donatione Caroli Calui Cæſaris: obiit pridie Non. Octobris A.C. 903. poteſtatis ſuæ XL. Sepultus Egmundæ. Vxor GENA ſiue Gunna, Pipini Minoris Regis Italiæ F.

THEODORICVS II. Comes Hollandiæ & Zelandiæ, monaſterium Egmundenſe reſtaurauit, viréſque inſtituti D. Benedicti tradidit. Deceſſit pridie Non. Maii A.C. 988. poteſtatis ſuæ XXCV. Sepultus Egmundæ. Vxor HYLA F. Ludouici Regis Franciæ.

ARNOLDVS Comes Hollandiæ, in Friſia cæſus A.C. 993. XVI. Kal. Octobris, regiminis ſui quinto. Sepultus Egmundæ. Vxor LVITGARDIS Græca, Imperatoris Byzantiæ F.

EGBERTVS Archiepiſcopus Treuerenſis, princeps virtute & eruditione inſignis, obiit A.C. 989.

HERLINDIS Abbatiſſa Rheniburgenſis.

THEODORICVS III. Comes Hollandiæ & Zelandiæ, patris necem vindicaturus, in Friſios mouit: & Adelboldum Vltraiectinum Epiſcopum acie captum, Iſelmondæ in vinculis detinuit integro triennio. Sepultus Egmundæ A.C. 1039. imperii XLVI. Vxor VITHILDIS Othonis II. Imp. Germanici F.

SIGFRIDVS Burggrauius Friſiæ, Dominus Camerlandiæ. Vxor DIETBVRGIS Goteſuandi Præfecti F.

THEODORICVS Baro Seuenburgius & Brederodius: ſepultus Treytvingæ.

GOTOFRIDVS Comes Lucelburgius.

THEODORICVS IV. Comes Hollandiæ, cœlibem duxit vitam: Dordraco proditione capta, ex inſidiis telo in femore ictus, occubuit Idib. Maii A.C. 1048. Sepultus Egmundæ.

FLORENTINVS I. Comes Hollandiæ & Zelandiæ: Epiſcopum Leodienſem in acie cæcidit: Lambertum Comitem Louanienſem cepit: Colonienſem Præſulem in fugam coniecit: ſed qui inſperato reditu ipſum à victoria fatigatum, & iam dormiendo ſub vmbra arboris refocillantem, obtruncauit A.C. 1062. Contigit hæc clades in vico Hemertenſi ad confluentiam Moſæ & Valis. Cum Vxore GERTRVDE Hemi Saxoniæ Ducis F. ſepultus Egmundæ. Nupſit hæc poſtea Roberto Friſio, Comiti Flandriæ; qui Hollandiam tutoris nomine octennium adminiſtrauit ſumma integritate continentiaq;.

THEODORICVS V. Hollandiam magno vix labore, vbi adoleuit, ex manibus Gotofridi Brabantini, qui per tyrannidē eam ſibi ſubiugārat, eripuit: à cuius cæde Remp. ſeptendecim rexit annos. Friſios quoq; rebelles domuit.

BERTHA vxor Philippi I. Regis Galliæ: à quo poſtea repudiata, & Monſtrolium ad mare relegata eſt.

Obiit A.C.1092.xv.Kal. Septembris. Maiorum monumento illatus Egmundæ. Vxor VITHILDIS Friderici Saxoniæ Ducis F.

FLORENTIVS II. cogn. Pinguis, Comes Hollandiæ & Zelandiæ, princeps optimus, & festa pace nobilis: obiit pridie Non. Martii A.C. 1123. potestatis suæ XXXI. Vxor PETRONELLA Lotharii Cæsaris soror, fundatrix cœnobii Rheniburgi.

THEODORICVS VI. Comes Hollandiæ, Frisios bis vno die superauit. Obiit Nonis Augusti A.C. 1163. Sepultus Egmundæ. Vxor SOPHIA Othonis Comitis Palatini F. obiit in Palæstina.

SIMON Comes Hollandiæ.

FLORENS Comes Hollandiæ.

HEDVICIS.

FLORENTIVS III. Comes Hollandię, Frisiis subactis, expeditionem in Palæstinam suscepit: vbi diē obiit A.C. 1190. Sepultus Antiochiæ. Vxor ADA F. Henrici Comitis Hundintoniæ, soror Gulielmi Regis Scotorum.

BALDVINVS Episcopus Traiectinus, variis bellorum tumultibus afflictus; decessit A.C. 1196. Ibidē sepultus.

BILLIGERVS Burggrauius Hollandiæ.

SOPHIA Abbatissa Rheniburgensis.

PETRONELLA virgo obiit.

THEODORICVS VII. Comes Hollandiæ, in Frisia cum fratre Gulielmo satis atrociter conflixit. Brabantiam inde cum exercitu ingressus viuus in hostium venit manus A.C. 1203. Vxor ADELHEIDA Theodorici Cliuiæ Comitis F.

ADA Comitissa Hollandiæ nupsit Ludouico Comiti Lossensi: sepulta Metelloburgi A.C. 1204.

MARGARETA.

GVLIELMVS I. Comes Hollandiæ, Harlemensium opera Heliopolim, quā vulgò Damiatam vocat, expugnauit: & Comitatui adiecit Ostfrisiam. Tumulatus Rheniburgi prope Leidam oppidum A.C. 1223. post vndeuiginti annos exactos in publica administratione. Vxoris eius: ADELHEIDIS Othonis Geldriæ; & MARIA Ethmundi Ducis Lancastri, filiæ.

FLORENTIVS Præpositus Traiectinus.

BEATRIX.

ADELHEIDA.

MARGARETA.

ELISABETH.

FLORENTIVS IV. Comes Hollandiæ & Zelandiæ, à Comite Claromontano ob zelotypiam obtruncatus A.C. 1235. Sepultus Rheniburgi. Vxor MECHTILDIS Henrici Ducis Brabantiæ F. auctor cœnobii Loesdunensis.

OTHO Præsul Traiectensis, moriens magnum sui desiderium reliquit A.C. 1249.

RICHARDIS, cœnobium Campi Regii extra portas oppidi Delphensis extruxit.

GVLIELMVS II. Comes Hollandiæ, natus in oppido Leidensi, solenni ritu & inauguratione Aquisgrani ab Electoribus Imperio præfectus: contra Flandrenses multa gessit bella: & Frisiam debellauit: vbi à dispositis insidiis circumuentus & hastis confossus, periit v. Kal. Februarii A.C. 1255. Sepultus Middelburgi. Vxor ELISABETH F. Othonis Parui Ducis Brunsuigii.

MARGARETA Hannoniæ Comitissa: mater Ioannis Hannoniæ & Hollandię Comitis.

MECHTILDIS Comitissa Hennebergica, Hermanni vxor: adeo numerosam prolem vno partu enixa est, vt numerum cum diebus anni æquauerit. In cœnobio Loesdunensi sepulta A.C. 1238.

FLOREN-

FLORENTIVS V. Comes Hollandiæ & Zelandiæ,& Frisiæ Dominus,patrios manes vlturus, denuò in Frisios mouit. Inter venandum plus viginti vulneribus confossus A. C. 1296. v. Kal. Iulii. Sepultus Rheniburgi. Vxor BEATRIX Guidonis Dampetri Comitis Flandriæ F. quibus nuptiis pax inter Flandrenses & Hollandos firmata est.

GVLIELMVS. THEODORICVS. FLORENTIVS,
Patrem morte præuerterunt ἄπαιδες.



XI. XII.
RICHARDI ANGLI, ET ALPHONSI HISPANI.

Cæso Gulielmo Hollandiæ Comite, iterum in partes discessit Germania: Electoribus inter se de electione Imperatoris variantibus. Alii namque ad RICHARDVM *Cornubiæ Comitem, Ioannis Anglorum Regis F. alii ad* ALPHONSVM *Castellæ Regem Hispanum suffragia inflectebant: vtroq. Imperium multo auro quasi licitante. Sic itaq. diuersis sententiis vterq. nomen Augusti est adeptus: ille* IIX. *Id. Ianuarii, hic pridie Kal. Aprilis A. C. 1258.* RICHARDVS *Anglus, in Imperio sese confirmaturus, quũ pace publica perturbata, in illorum agros, qui à cæteris in electione dissenserant, igne & rapinis sæuiret: citò pecunia exhaustus, ac tandẽ à suis spretus atq. desertus; desperatione rediit in Angliam ad Henricum fratrẽ, bella gerentem cum subditis: vbi in obsidione Barchenstedi oppidi sagitta traiectus periit A. C. 1272.* ALPHONSVS *autem Hispaniæ Rex, pluris faciens disciplinas mathematicas, & cælestium rerum cognitionem, quàm Romani Imperii administrationem; post Richardi interitum iure suo sponte renunciauit eodem anno. De horum genere, maioribus, vita, rebus gestis, fusiùs aliquando agemus in Regum Hispaniæ & Angliæ familiis.*



XIII.
ADOLPHI NASSOVII.

ADOLPHVS Comes Nassouius, cuius maiores in agro Norico possessiones suas tenuere, Præfectus prætorio Rudolphi I. Cæsaris. Vxor N. filia Henrici Burggrauii Noribergensis vltimi è Marchionibus Vogburgiis.

ADOLPHVS Comes Nassouius, miro astu Gerardi ab Eppenstein Archiepiscopi Moguntini, Imperii titulis donatus: cum Marchionibus Misniæ, quos legitima hæreditate spoliare conabatur, varia fortuna dimicauit: Friberga ꝓditione capta, in præcipuę nobilitatis viros grauiter animaduertit. Ob quam tyrannidem & auaritiam omnibus exosus iustis suffragiis deponitur: & cùm Alberto in locum eius cooptato cedere Imperio nollet: bello ab ipso victus occubuit VI. Non. Iulii A. C. 1298. Spiræ sepultus. Vxor IMAGINA Comitissa Limburgensis.

DIETHERVS Archiepiscopus Treuirẽsis obiit A. C. 1307.

WALRAMVS Comes Nassouiæ. Vxor ANNA F. Friderici I. Burggrauii Noribergensis ex Comitibus Zollerensibus.

PHILIPPVS Comes Nassouius, ductor copiarum Adolphi Imp. in Misnia: periit in cõflictu cum Friderico Marchione A. C. 1309.

EMICHO Noribergę sepultus A. C. 1342.

RVPERTVS Comes Nassouius, obiit ἄπαις. Vxor IVDITHA F. Wenceslai VI. Regis Bohemiæ.


GERLACVS pater Comitum Nassouiorum Wisbadensium & Saræpontanorum (*de quibus in alio libro Genealogico agemus*) obiit A. C. 1361.

MECHTILDIS vxor Rudolphi Electoris Palatini.



XIV.

HENRICI LVCELBVRGII.



Familiæ ἔκφρασις.

HENRICVS Comes Lucelburgius, de fratris Balduini Archiepiscopi Treuirensis cōmendatione Francofurti in Comitiis Imp. electus IIX. Kal. Decembris A.C. 1308. & ab hinc quadragesimo tertio die Aquisgrani armis atque insignibus Cæsareis ornatus: Eberardum Comitem Wirtembergium, opum fiducia insolescentem, Imperiique iugum detrectantem, proscripsit, omnibúsque fortunis exuit: Misnicá bella sustulit: & regnum Bohemiæ vtriusque Lusatiæ accessione locupletauit: in Italia Taurinatibus & Astensibus in deditionem acceptis, veteri more præsides vicarios imposuit: Mediolani factione Turriana oppressa; Vicecomites summæ rerum præfecit. Post diadema Romæ acceptum, Florentinos graui obsidione premens: Beneuenti Hetruriæ vrbe interiit non absq; grauissima veneni suspicione, in Eucharistiæ pane consecrato à monacho Bernardino, pecunia à Senensibus Florentinorum sociis ad hoc conducto nefariè ipsi porrecti, A.C. 1313. IX. Kal. Septembris. Ossa eius post biennium Pisas translata. Vir prudens, iustus, rei bellicæ peritus, magnanimus, rebus secundis nunquam elatus, aduersis nunquam deiectus. Vxor eius MARGARETA Henrici Ducis Brabantiæ F. Roma, quo maritum erat secuta, Genuam reuersa, ibidem diem suum obiit. Ex hac tres filias, vnicum filium reliquit:

BEATRICEM Caroli Regis Pannoniæ vxorem.

MARIAM, quæ à fratre promissa Henrico Tyroliô, connubium illud repudiauit: se deuotam esse Christo, bellum indixisse matrimonio, tum causata: Carolo autem Pulcro Regi Occidentalis Franciæ in manum postea venit.

Tertiam ἀνώνυμον Rudolpho Palatino desponsatam.

IOANNEM Comitem Lucelburgium, conuentu Nymburgensi à patre Bohemis Regem impositum: & cum vxore ELISABETHA Bohema Pragæ à Petro Moguntino Archiepiscopo, regio diademate cinctum pridie Non. Febr. A. C. 1311. Primam expeditionem aduersus grassatores publicos suscipiens, arces in Morauia prædatorias solo æquauit. A parente Augusto in Italiam profecturo, Imperii Vicarius in Germania relictus: eo mortuo, nouis contractis copiis, quibus Italicas suppleret, ciuitates quæ in fide perstiterant, in suam quoque fidem receptas fortiter defendit. Bohemiæ regnum, adiecta magna parte Silesiæ & Lusatia vtraque, auxit & amplificauit: oppidum & arcem Dobrinam in Russia, Polonorum præsidiis munitam, vi & machinis expugnauit: totam circum quaque regionem vna cum Vlatislauiensi ditione subiugauit: vtraque Magistrum Prusiæ donauit: Mazoniam subegit, Pomeraniam Polonis ademptam, Cruciferis tradidit. Inde in Lithuaniam mouens, ex graui & nebuloso aëre alterum amisit oculum: vnde Cœci *cognomentum inuenit. Denuo in Italiam progressus, Brixianos patrocinium eius implorantes, in Bergomates animauit: Mutinam, Rhegium, Parmam, Lucam, Papiam deditione accepit. Pragam reuersus, post exhaustum omne viaticum peregrinationibus, ludis, conuiuiis, spectaculis; domi quoque vacuum reperiens ærarium; ad adulterinam monetam cudendam, & sacrilegia, animum aduertit. Tandem Gallica castra secutus: occubuit in prælio cum Anglis ad*

glis ad Cresciacum VII. *Kal. Septemb. A.C.1346. Lucelburgæ inhumatus. Fuit illi desponsata* ELISABETH *F. Friderici Austriaci Cæsaris: sed quæ innupta virgo obiit. Inde A.C. 1311. prid. Non. Febr. duxit* ELISABETHAM *F. Wenceslai Senioris postremi è sua familia Regis Bohemiæ: qua A.C.1330.* III. *Kal. Octob. defuncta, iunctus est* BEATRICI *filiæ Ludouici Ducis Borbonii: sterili hoc vsus connubio. Ex* ELISABETHA *ergo Bohema ipsi geniti,*

CAROLVS IV. in baptismo Wenceslaus appellatus, Marchio Morauiæ, & secundùm patrem Rex Bohemiæ: contra Ludouicum Bauarum, Pontificii anathematis execratione oppressum, in agro Treuirensi Cæsar in auguratus IV. Id. Quintil. A.C.1346. Princeps valdè ambitiosus & πανουργικῶς. Imperio namque quibuscunque artibus inhiauit: Bohemiam suam Silesiæ omnis accessione, Principibus illis vel bello, vel precio, vel persuasu domitis, amplificauit: Marchiam Brandeburgensem Bauaris extorsit: de Bauaria & Voitlandia multa, quæ Bohemiã attingunt, decerpsit: Pragam variis operibus excoluit: Francis Regibus iura regni Arelatensis, alienata ab Imperio, in maximum eius detrimentum concessit. Vnde apud annalium scriptores iure malè audit: quòd regnorum Bohemiæ & Franciæ, quàm Imperii amantior: quòd rei priuatæ, quàm publicæ; suæque posteritatis, quàm Imperii maiestatis amplificandæ auidior: quòd denique pecuniæ, quàm iustitiæ & æquitati fuerit addictior. Cæteroquin literarum humaniorum & plurimarum linguarum fuit peritus, sapiens, eloquens, doctorúmque virorum consuetudine summè delectatus. Cuius rei testes sunt Academia Pragensis ab ipso condita; & lex de Comitiis Cęsareis habendis, quam Rogationem Carolinam & Auream bullam nuncupamus. Vita decessit Pragæ VI. Kal. Aprilis A.C.1378. ætatis suæ LXIII. Imperii XXXII. Conditus ibidem in æde B. Petri. Vxores habuit plures: quarum BLANCAM Valesiæ Comitem, sororem Philippi Valesii Regis Franciæ, vix septennem, ipsi in aula degenti desponsauit Carolus Pulcer Rex. Hac mortua, nuptias contraxit cum ANNA F. Rudolphi Iunioris Electoris Palatini: infœcundo hoc & sterili vsus coniugio. Ad tertias inde nuptias transiens, spe occupandæ Silesiæ sibi copulauit ANNAM Bulconis Ducis Suidnicensis F. quæ ad eum dotis nomine attulit Silesiæ partem montibus Bohemicis conterminam. Hac partus doloribus extincta, postremam sibi coniugẽ despõdit ELISABETHEN, filiam Bugislai V. Ducis Stetinensium in Pomerania: cum qua Cracouiæ splendidissimas celebrauit nuptias A.C.1363. Ex his tres mares, septem fœmellæ ipsi nati sunt: quorum

WENCESLAVS *cognomento Ignauus, matre* ANNA *Ducissa Silesia natus* IV. *Kal. Octob. A.C.1361. aqua lustrali tingendus, eã suo lotio respersit: sicut quũ bimus regio diademate cingeretur, aram quoque cœno suo conspurcauit. Biennio ante obitum patris Francofurti in Comitiis Cæsar dictus & successor in Imperio, cunctis quidẽ, at multo precio coemptis & penè extortis suffragiis: per ignauiam & socordiã Imperii res miserè afflixit: præsentiũ rerum statu contentus, neque præterita corrigere, neque futura præcauere curauit. Adeò ingenio fuit hebeti, stolido & sordido: animo non tantum à Repub. sed penè ab omni honestate alieno, timido tamen, & ad immanitatem vsque sæuo ac truculento: corpore autem ignauo, vino perpetuò madido, aliisque obscenis voluptatibus dedito. Quapropter non solùm à suis captus, & in tetro carcere totos menses quatuor asseruatus: vix multis procerum intercessionibus impetrauit, vt semel ipsi ad squallorem & sordes corporis abluendas balneum ingredi concederetur: ex quo Ambubaiæ opera, conscensa cymba, euasit: sed non multo pòst à Sigismundo fratre denuo captus, & è turre Pragensi Viennam deductus est: vbi licet è vinculis, piscatoris ope, elapsus, & mendici habitu Pragam reuersus, regnum recuperauerit: quum tamen ad ingenium semper rediret, Imperio non multo pòst omnium suffragiis est deiectus, semel mense Maio, iterum mense Sextili A.C.1400. Reliquum itaque ætatis iis moribus, quibus consueuerat, in regno suo exigens: seditione Pragæ exorta, ex consternatione & excandescentia, apoplexia correptus, periit* XVII. *Kal. Septemb. A.C.1419. ætatis suæ* LVII. *Pragæ in aula regia sine vllo exequiarum honore sepultus. Fuere in eius connubio* IOANNA *Alberti Principis Bauariæ & Hollandiæ F. deinde* SOPHIA *Ioannis Monacensis itidem Bauariæ Ducis F. genitrix*

ANNÆ vxoris Richardi II. Regis Angliæ, ἄπαις defunctæ A.C.1394.

SIGISMVNDVS *Imp. Rom. Rex Vngariæ & Bohemiæ, Marchio Morauiæ & Brandeburgi: matre* ELISABETHA *Pomerana natus: adhuc puer admodum, propter generosæ indolis conspicua signa, à Ludouico Rege Pannoniæ est adoptatus; filiæ nuptiis & regno in dotem ei promissis. Ex ephebis autem vix excesserat: quum socrus sua Regina cæde comperta (hanc namque Ioannes Horuatius Banus in aquam demersam suffocarat) Pannoniam cum exercitu est ingressus: susceptisq́; insignibus & ornamentis regiis, ac nuptiis celebratis, de Horuatio parricida & aliis* XXXII. *proceribus, qui sub muliebri regno iugum excusserant, supplicium sumsit. Vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata: vt pòst bellum Turcicum ad Nico-*

polim infeliciter gestum, armatis comitiis captus; nec andusq; magis, quam asseruandus fœminæ, cuius maritum è nobili familia Garenorum inter factiosos supplicio affecerat, fit traditus. Sed è vinculis liberatus diuinitus, irato nimirum fœminæ animo promissis amplissimis placato: in Morauia milite conscripto, regnum Vngariæ mox recepit, præsidiisq; firmauit: Stephanum verò Vaiuodam, captiuitatis suæ auctorem, securi ferut. Ruperto Palatino defuncto, successor in Imperio omnium suffragiis dictus: Synodo Constantiensi soluta, motibus Bohemicis indies magis magisq; ingrauescentibus (nam Wenceslao Rege extincto, Hussitæ ducem sibi delegerant Ioannem Ziscam: de cuius in bellis felicitate omnibus formidabili multa multis literis prodidere) in Bohemiam perrexit: quam non sine labore vix tandem obtinuit: longo ab Hussitis & perquam difficili bello petitus, sæpius etiam acie ab iis victus. Nec Italica eius expeditio in Venetos, Taurisino agro peruastato, fuit felicior: siquidem mox Venetis armis est expulsus. Znoymæ tandem in Morauia extremo virium defectu ceu exolutus, vitã finiit v. Id. Decemb. A.C. 1437. septuagenarius. Varadini sepultus. Princeps doctrina, humanitate, sapientia præstantissimus: literarũ & literatorũ studiosissimus: magnitudine animi, dexteritate in consiliis, laborum patientia haud immerito cum Carolis & Othonibus conferendus: si consiliis & conatibus eius respondisset fortuna: nec iustis ac necessariis armis contra Turcas successus fata negassent. Vxores habuit duas: MARIAM Ludouici Regis Vngariæ filiam, amisit primo a nuptiis anno: alteram BARBARAM, Hermanni Comitis Ciliæ F. fœminam profligatissimæ pudicitia & lasciuia procacissima, ad perpetuos condemnauit carceres: sed quæ a mariti morte dimissa, Gretii in Bohemia in vita illa turpi & fœdis libidinibus infami consenuit; ad extremum lue pestilenti extincta. Hac nata

ELISABETH hæres regnorum Bohemiæ & Vngariæ, desponsata Alberto Austriaco A.C. 1420. obiit A.C. 1440.

IOANNES *Marchio Morauiæ & Lusatiæ, dominus Gorlitii, natus matre* ELISABETHE *Pomerana: ex* RICHARDE *Alberti Megapolensis Regis Suecorum nata, vnicam reliquit F.*

ELISABETHEN vxorem Antonii Ducis Brabantiæ & Lucelburgi: & deinde Ioannis Ducis Bauariæ & Hollandiæ: quæ, quum ex neutro coniuge prolem suscepisset, ducatum Lucelburgensem vendidit Philippo Burgundo.

CATHARINA *Rudolpho* } *fratribus Austriæ Exarchis*
ELISABETH *Alberto* }
MARGARETA *Ludouico Regi Pannoniæ & Poloniæ*
HELENA *Henrico Angliæ Regi,*
ANNA *Othoni Palatino Rheni, Duci Bauariæ, & Marchioni Brandeburgio, a quo socer emit Marchiam ducentis millibus aureis Vngaricis,*
ELISABETH *altera, Ioanni Galeacio Mediolanensi*
MARGARETA *altera Ioanni Burggrauio Noribergio*
} *elocatæ.*

IOANN. HENRICVS Comes Lucelburgius, Marchio Morauiæ, decessit A.C. 1365. in Bacchanalibus. Brunnæ ad D. Thomam sepultus. Duas habuit vxores: quarum prior MARGARETA Henrici Tyrolii & Carinthii F. mariti pertæsa, eiúsque frigiditatem caussata, eo repudiato, nupsit Ludouico Boio, Marchioni Brandeburgio; & hoc defuncto, Rudolpho Austriaco. Ex altera MARGARETA Opaniæ Ducissa procreauit

IODOCVM *cogn. Barbatum, Marchionem Morauiæ & Bradeburgi (hanc enim ipsi oppignorauit certa pecuniæ summa Sigismundus Imp. A.C. 1388. armis recuperaturus regnum Vngariæ) qui Wenceslao Ignauo Imperio deiecto Episcoporum duntaxat & Sigismundi fratruelis suffragiis Cæsar nominatus, non tamen coronatus est: neque aliud memorabile toto vitæ tempore edidit: quam quod fratri hæreditatem eripuit. Decessit Brunnæ in Morauia* XIII. *Kal. April. A.C. 1411. Imperii mense sexto: tumulatus ibidem in æde B. Thomæ iuxta patrem, regio titulo sub insignibus Imperii.*
PROCOPIVM *Marchionem Morauiæ, hæreditate à fratre spoliatum: ad quam repetendam armis, quum auxilium Sigismundi patruelis & Alberti Austriaci implorasset: a fratre veneno in summum vitæ discrimen est coniectus. Ex* ELISABETHE *Palatina Rheni, sorore Ruperti Imp. nata ipsi filia*

SOPHIA consors Bugislai IIX. Ducis Pomeraniæ.

WENCESLAVS Comes Lucelburgius, & Dux Brabantiæ: pro qua contendens cum Ludouico Comite Flandriæ, etsi à Carolo fratre adiuuabatur; victus tamen ducatum vnà cum vita amisit. Ex vxore IOANNA F. Antonii Niuernensis, postremi Ducis Louaniensis, genuit

IOANNEM *Episcopum Argentoratensem consecratum A.C. 1366. & ab hinc sexennio Archipræsulem Moguntinum.*


PREMISLAVS puer obiit.

MARIA Carolo V. Regi Galliæ ſociata.

MARGARETA nuptum tradita Henrico Duci Bauariæ: pòſt vidua Caſimiro Regi Poloniæ deſponſa, ante nuptias obiit.

ANNA conſors Othonis Auſtriaci, in Nouomonte ſepulta.

IVDITHA Friderico Marchione Miſniæ repudiato, nupſit Ioanni Valeſio Regi Occidentalis Franciæ.




XV.

GVNTHERI SCHVARCEBVRGII.

HENRICVS Comes Schuarceburgius, Guntheri F. extinctus eſt Erphordiæ in loco fœtido A.C. 1313.

GVNTHERVS Comes Schuarceburgius. Vxor MAGDALENA Baroniſſa Plauenſis. AGNES nupſit Bernardo Comiti Reinſteinio.	GERARDVS Epiſcopus Herbipolenſis, Dux Franconię, bellator ſtrenuus, obiit A. C. 1403.	GVNTHERVS Comes Schuarceburgius, Ludouico Boio ab altera Electorum parte in Imperio ſuffectus: etſi priùs aſſentiri omnino noluit: cer-	HENRICVS Comes Schuarceburgius, ſtemma illorum Comitum in Turingia propagauit: *de quibus alibi copioſius agemus.*

tis tamen poſtea annuit conditionibus, Aquiſgrani ſumens coronam à Moguntino. Acceſſit autem armatus Francofurtum, Carolum IV. æmulum ibi præſtolatus, quò litem bello decerneret. Vbi à medico pecunia corrupto, veneno potionatus extreméque eneruatus: pace cum Carolo facta, ſexto ab electione menſe victus vi morbi naturæ conceſſit Kal. Auguſti A.C. 1349. ætatis ſuæ XLIV. Sepultus regio apparatu regióque monumento Francofurti in æde B. Bartholomæi.



XVI.

LVDOVICI BOII, ET RVPERTI PALATINI.

☞ *Iterum hîc Lectorem remitto ad Stirpem Carolinam, in altero libro Genealogicò Germaniæ Principum explicatam: vnde Principes Palatini & Duces Bauariæ omnes ſuam deducunt originem.*

LVDOVICVS Seuerus, Elector Palatinus Rheni & Dux Bauariæ: Princeps magna vi animi & corporis, iuſti & æqui cuſtos acerrimus: Heidelbergæ obiit Kal. Febr. A.C. 1294. Furſtenfeldæ inhumatus. Vxor poſtrema MECHTILDIS Rudolphi Habsburgii Imp. F.

RVDOLPHVS I. Elector Palatinus Rheni, indignè ferens, fratrem Ludouicum Imperii culmine potitum, omnibus modis ſe ipſi oppoſuit. Quapropter ab eo patria expulſus, exul in Anglia deceſſit A. C. 1319. ætatis ſuæ XLIV. Vxor MECHTILDIS, Adolphi Naſſouii Cæſaris F. obiit A.C. 1315.	Filiæ duæ: ANNA vxor Henrici Principis Cattorum. MECHTILDIS conſors Othonis Ducis Luneburgii.	LVDOVICVS V. Imp. Rom. & Dux Bauariæ, Friderico Auſtriaco æmulo capto, ſolus rerũ potitus: Imperatorem ſe citra Pontificis aſſenſum appellauit. A tribus ordine Pontificibus idcircò excommunicatus: fulmina & decreta ipſorum omnia tãquam aniles ducens nænias, Italiam mox petiit: in oppidiſque Iuris Pontificii præfectos alios

ADOLPHVS Rudolpho fratri Septemuiratum resignauit A.C.1327. Princeps ab omni ambitione alienissimus. Vxor IRMENGARDIS Ludouici Comitis Otingensis F.

RVDOLPHVS Elector Palatinus, obiit A.C.1327.

RVPERTVS Elector Palatinus, cōdidit Academiam Heidelbergēsem A. C. 1346. Obiit ἄπαις.

RVPERTVS II. Elector Palatinus, instaurator & alter conditor Academiæ Heidelbergensis: princeps pace & bello inclytus: Ambergæ sepultus. Vxor BEATRIX, Friderici Regis Siciliæ F.

dedit. Quum autem fidum nihil tutúmve vlla in parte experiretur: magisque hostium insidias fraudulentas & venena, quàm manifestā vim metuere cogeretur: in Germaniam reuersus, infeliciter se implicuit discordiæ duorum Regum, Philippi Valesii Franci, & Eduardi Angli: quæ valde ipsi exitiosa fuit. In venatione apoplexia mortuus VI. Id. Octob. A.C.1347. ætatis LXIII. Sepultus Monachii. Ab eo originem ducunt principes, qui ad Danubii oram Boios meridionales, inferiores, superiores, Vindelicos item & Noricos administrant: de quibus alibi.

RVPERTVS Dux Bauariæ & Rheni Palatinus Septemvir, in locum Wenceslai suffectus, Coloniæ regio diademate est donatus. A Ioanne Galeacio Vicecomiti Mediolanensi ad lacum Benacum in Italia repulsus: ad Venetos Tridentinósque deflexit: inde, incassum Florentinis adnitentibus, ne Italia excederet, in Germaniam rediit, paci religioníque vacaturus. Obiit Oppenhemii XV. Kal. Iunii A.C.1410. Sepultus Heidelbergæ. Auctor est omnium principum, qui ad Rheni ambas ripas & in Germania Nariscis siue Boiis Aquilonaribus longè latéque dominantur: de quibus alibi.

Filiæ duæ
ANNA vxor Gulielmi primi Ducis Iuliacensis & Bergensis.
ELISABETH consors Procopii Marchionis Morauiæ.



XVII.

FRIDERICI SAPIENTIS.

E Saxoniæ Ducibus.

☞ *Vide de hac familia sub Tit. Stirpis Witichindeæ, Stemma Comitum Wethini.*

FRIDERICVS Grauis, Friderici Admorsi F. Marchio Misniæ, Landgrauius Turingiæ: vir acri ingenio, & bello strenuus: contra Carolum IV. Cæsar electus, Imperium magno spreuit animo. Obiit IV. Non. Febr. A.C.1349. Vxor MECHTILDIS, F. Ludouici Boii Cæsaris, mortua A.C.1346. VI. Non. Iulii: iuxta maritum in cœnobio Veterocellensi sepulta.

FRIDERICVS Strenuus Marchio Misniæ, Landgrauius Turingiæ, Carolum IV. Imp. in bellis sæpe iuuit. Obiit VII. Kal. Iunii A.C.1380. Vxor CATHARINA Henrici Hennebergii F. obiit Idib. Iulii A.C.1397.

GVLIELMVS I. Cocles Marchio Misniæ, Palatinus Saxoniæ obiit IV. Iduū Februarii A.C.1407. ἄπαις. Vxor ELISABETH Iodoci Marchionis Morauiæ F.

BALTHASAR Landgrauius Thuringiæ, vir bellicosus, obiit XV. Kal. Iunii A.C. 1406. Vxor CATHARINA F. Ioannis Burggrauii Noribergii.

FRIDERICVS Bellicosus, primus ex sua familia Elector Saxoniæ: fundator Academiæ Lipsensis: obiit A. C.1428. pridie ††

GVLIELMVS II. Diues Marchio Misniæ, Brandeburgensem Marchionatum emit a Iodoco Marchione Morauiæ. Obiit ἄπαις A.C.1425.

FRIDERICVS Pacificus Landgrauius Turingiæ obiit ἄπαις A.C. **

ANNA vxor Rudolphi Saxoniæ Electoris.

Non.

†† Non. Ian. Weissenfelsæ. Aldenburgi inhumatus. Vxor CATHARINA, Henrici Ducis Brunsuigii F. defuncta Grymmæ A.C.1442. v. Kal. Ianuarii.

** 1440. Vxor ANNA F. Guntheri Comitis Schuatceburgii.

FRIDERICVS II. cogn. Placidus siue Pacificus, Princeps Saxoniæ Septemvir. obiit Lipsiæ VII. Id. Septembris A.C. 1463. Misnæ inhumatus. Princeps ingenio placidus, verùm bello strenuus: manus feliciter conseruit cum Francis, Bohemis, Sauromatis, Lusatiis, nec non cum Gulielmo fratre. Vxor MARGARETA, Ernesti Ferrei Exarchi Austriæ F. obiit IIX. Id. Febr. A.C.1486.

SIGISMVNDVS Præsul Vurciburgius, obiit Rochlitii in exilio IX. Kal. Ianuarii A.C. 1457.

GVLIELMVS III. Dux Saxoniæ, Landgrauius Thuringiæ: princeps laudabilis, obiit peste A. C. 1482. XV. Kal. Octob. Vinariç sepultus. Vxor ANNA Alberti II. Cæsaris F.

MARGARETA nupsit Ioanni Electori Brandeburgio.

ANNA consors Henrici Ducis Monsterbergii.

ERNESTVS Dux Saxoniæ Elector, Landgrauius Turingiæ, Marchio Misniç: pacis, quamdiu vixit, studiosissimus. Quatuor tamen bella administrasse legitur: Plauense, aduersus eius regulum prodigum, & nobilitati per vxorem molestum: Quedlinburgense ad Hercyniam contra ciues, Heduigis Abbatissç, suç sororis, imperium recusantes: Halense, itidem contra ciues, qui Ernesto Episcopo parum obsequentes, & ditioribus infensi malum sibi & seruitutem attraxere: Halberstadense aduersus ciues, qui genio quodam sinistro, œstro perciti, rationem sibi reddi postularunt administratæ Reipublicæ, cui parum bona fide senatus præfuisset. Cuius obsidionis tempore rebus humanis excessit VII. Kal. Sept. A.C.1486. Misnæ sepultus. Vxor ELISABETH Alberti Monacensis, Ducis Bauariæ F. obiit A. C. 1484.


ALBERTVS cogn. Animosus & Rolandus Germanicus, Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, &c. Princeps nomine & aspectu Vngaris, Gallis, Belgis, Frisiis terribilis: decessit in altera cõtra Frisios expeditione Embdæ prid. Id. Sept. A.C.1500. ætatis suæ LVII. Vxor ZEDENA, Georgii Bohemiç Regis F. obiit A. C. 1510. Kal. Februarii. De eius prosapia alius dicendi locus erit.

FRIDERICVS III. cogn. Sapiens, Dux Saxoniæ Septemvir: vir pietate, sapientia, ætate præstantissimus: quum Maximiliano defuncto, omnium votis atque suffragiis Imperii summa ad eum esset delata: illç ob omni ambitione alienissimus, & pacis ac quietis amantissimus, honorem hunc constantissimè recusauit: & in Carolum V. suo suffragio transtulit. Academiã Vitebergæ liberaliter constituit: & cœlestis doctrinæ repurgatores constanter defendit. Obiit cœlebs III. Non. Maii A.C.1525. ætatis suæ LXIII. Sepultus Vitebergæ.

ALBERTVS Archiepiscopus Moguntinus obiit Kal. Maii A. C. 1484.

ERNESTVS Archiepiscopus Magdeburgius obiit III. Non. Augusti A.C. 1513.

IOANNES Dux Saxoniæ Septemvir, Landgrauius Turingiæ, Marchio Misniç; princeps pientissimus & sanctissimus: Euangelicæ doctrinæ confessor constantissimus: decessit Idib. Sextil. A.C.1532. ætatis suæ LXIII. Vitebergæ sepultus. De eius matrimonio & posteritate alibi agemus.



XIIX.

AVSTRIACORVM.

Nobilißimum Exarchorum Austriæ Stemma in altero libro Genealogico sub Tit. Stirpis Merouεæ satis copiosè & luculenter explicauimus. Hic, ne longiores simus, duntaxat eam adumbrabimus.



Familiæ ἐκφράσις.

1. RVDOLPHVS Comes Habsburgius, Alberti Comitis Habsburgi & Ergouiæ F. ob spectatam suam aliquot externis Friderici, & suis domesticis bellis interregni tempore, sapientiam, magnanimitatem, fortitudinem, felicitatem ac moderationem, Francofurti in Comitiis inauguratione solenni in Imperium collocatus: totus in hanc curam incubuit: vt latrocinis, seditionibus, tumultibus, bellis, quibus ardebat Germania, sublatis; pacem patriæ redderet & tranquillitatem. Othocarum Bohemiæ Regem, imperium eius detrectantem, prælio victum occidit: Nouesii quendam mentitum se Fridericum Ducem Sueuiæ illum, qui cum Conradino capite truncatus est, & Rhenanas aliquot vrbes ad defectionem sollicitantem, combussit: in Turingia septuaginta munitas arces, latrociniis infames, diruit ac deleuit: Hetruriæ oppida multa præfecti virtute vi expugnauit. Cæterùm Italiam non est ingressus, neq; coronam Imperialem Romæ de more maiorum accepit: solitus illos Horatii versus, ex Apologo Æsopico desumptos, recitare; Quia me vestigia terrent, Omnia te versum spectantia, nulla retrorsum. Obiit senex Idib. Quintilis A.C. 1291. septuagenario maior annis tribus. In templo Spirensi sepultus prope Philippum Sueuum. Vxor ANNA Alberti Comitis Hohebergensis ad Nicrum F. obiit XII. Kal. Octobris A.C. 1281. His nati sunt,

Albertus

Albertus I. IMP. *& stemmatis propagator.*

RVDOLPHVS *Sueuiæ Dux, propter vxorem* AGNETEM, *Othocari Bohemiæ Regis filiam, Bohemicarum rerum potitus: veneno periit A.C.1307. vnico superstite F.*

IOANNE Duce Sueuiæ, parricida Alberti Imp. sui patrui.

HERMANNVS *Comes Prouincialis Hassiæ, in Rheno prope Scaphusium fracta glacie, submersus* XIII. *Kal. Ianuarii A.C.1288. Basileæ sepultus.*

IVTHA *Wenceslai Bohemiæ Regis vxor obiit A.C 1297. Non. Iunii.*

CLEMENTIA *consors Caroli, Neapoli & Vngariæ Regis.*

CATHARINA *sociata Othoni Regi Vngariæ, Duci Bauariæ, obiit A.C.1285.*

MATHILDIS *vxor Ludouici Electoris Palatini obiit A.C.1304.* X. *Kal. Ianuarii.*

AGNES *vxor Alberti II. Electoris Saxoniæ, Vitebergæ sepulta A.C.1327.*

HEDVIGIS *nupsit Othoni Marchioni Brandeburgio.*

EVPHEMIA *virgo Vestalis.*

2. ALBERTVS I. Exarchus Austriæ, Adolpho Nassouio deuicto & occiso, principum suffragio & Bonifacii IIX. Pontificis assensu Imperii corona donatus: bella foris nulla, domi plurima gessit: præsertim ob Vngariæ & Bohemiæ regna. Tandem à Ioanne fratris filio prope Rhenum nefariè est trucidatus IIX. Kal. Maii A. C. 1308. Princeps alioquin fortis & prudens, at regni opúmque alienarum nimium cupidus. Sepultus Spiræ. Ex vxore ELISABETHA, Menardi Tyrolis & Goriciæ Comitis F. genuit

RVDOLPHVM *cogn. Mitem, Regem Bohemiæ, in ipso regni limine siue veneno siue alia fraude necatum, ἄπαιδα, A.C.1308.* IV. *Non. Iulii.*

FRIDERICVM *Pulcrum, Exarchum Austriæ; qui cum Ludouico Bauaro ob Imperium magna vi dimicauit in Sueuia & Bauaria: à quo tandem captus, & triennio in custodia detentus est in arce vicina oppido Naburgo. Certis conditionibus dimissus, decessit triennio post liberationem dysenteria, Idib. Ianuarii A.C. 1330. In Murbacensi cœnobio, quod ipse condidit, sepultus. Fuit in eius matrimonio* ISABELLA *Iacobi Iunioris Regis Aragonum F. qua nati,*

FRIDERICVS, LEOPOLDVS } in pueritia mortui.

ELISABETH Ioanni Regi Bohemiæ desponsata, ante nuptias obiit.

ANNA Ioanne Carinthiæ Comite marito extincto, vidua cœnobium ad S. Claram Viennæ est ingressa A.C. 1344.

LEOPOLDVM *Gloriosum, Landgrauium Alsatiæ & Brisgouiæ: virum fortem, & ad rem militarem tam animo quàm arte instructum: fidum fratris Friderici in bellis contra Ludouicum Bauarum ὑπασπιστὴν: Argentorati mota mente extinctum A.C.1326. Vxor* CATHARINA *Amadei Sabaudi F.*

OTHONEM *Iucundum, Exarchum Austriæ, in qua tractum Tulnensem in hæreditatis paternæ diuisione est sortitus: in Nouomonte cœnobio, quod ipse condidit, sepultum A. C. 1345.*

HENRICVM *Placidum, in pugna fratris Friderici cum Ludouico Boio captum: Bulcæ tandem in Austria defunctum ἄπαιδα* III. *Non. Februarii A.C.1327.*

Albertum II. *qui solus stirpem propagauit.*

AGNETEM *Andreæ III. Pannoniæ Regi*
ELISABETHAM *Theodorico Lotharingiæ Duci*
ANNAM *Hermanno Marchioni Brandeburgio*
CATHARINAM *Carolo Duci Calabriæ*
IVTHAM *Ludouico Comiti Otingensi* } *nuptas.*

3. ALBERTVS II. cogn. Sapiens, Exarchus Austriæ, diu post patris obitum gubernationi dexterrimè præfuit: & ducta in vxorem IOANNA filia Vlrici Phyretarum Comitis vltimi, Comitatum illum Austriæ coniunxit. Obiit A.C.1358. XIII. Kalend. Sextil. Princeps grauis & prudens, pacis inprimis studiosus. Liberos habuit sex: quorum

RVDOLPHVS *cognomento Magnanimus, Austriæ Exarchus, fundator Academiæ Viennensis, à socero Carolo IV. cuius filiam* CATHARINAM *vxorem habebat, ex beneficio Taruisianam Marchiam accepit: per* MARGARETÆ *autem filiæ Henrici Carni Proregis Bohemiæ, connubium Comitatum Tyrolis adiecit. Obiit ἄπαις* IIX. *Kal. Sextil. A.C. 1363. Viennæ ad S. Stephanum inhumatus.*

Albertus III. } *Exarchi stirpem propagarunt.*
Leopoldus II.

FRIDERICVS II. *cogn. Splendidus, Dux Austriæ, cælebs in venatione est occisus A. C. 1362.*

MARGARETA nupsit Meinrado Boio, Marchioni Brandeburgio.

CAHTARINA virgo Vestalis in cœnobio S. Claræ Viennæ.

4. ALBERTVS III. Exarchus Austriæ, amans & cupidus doctrinæ Astronomicæ, auxit studia & reditus Academiæ Viennensis: quam ob rem alter quasi eius conditor adstruitur. Naturæ concessit XV. Kal. Septemb. A. C. 1395. Viennæ iuxta fratrem sepultus. Duas vxores habuit: ELISABETHAM Caroli IV. Cæsaris, sterilem: & BEATRICEM F. Friderici Burggrauii Noribergii: qua natus

ALBERTVS IV. Exarchus Austriæ, cogn. Patiens, in oppugnatione Znoymæ hausto lethali poculo extinctus A. C. 1404. Viennæ iuxta patrem conditus: filio filiáque superstitibus, matre IOANNA Bauariæ & Hollandiæ Ducissa genitis:

ALBERTO V. Exarcho Austriæ, vno eodemque A. C. 1438. ter coronato: videlicet in Regem Vngariæ, Bohemiæ, & Romanorum: sed qui imperauit non toto biennio. Quo tamen breui temporis spacio Morauos & Sarmatas intra suos fines quiescere cōpulit: Bohemiæ factiones penitus attriuit: Amurathem Turcam in Vngaria vicit, fugauitque. Dysenteria morbo decessit VI. Kal. Nouemb. A. C. 1439. Ita repentè concidit, qui breui ad summum potentiæ creuerat. In Alba regali ad latus soceri Sigismundi sumptuosissimè sepultus. Ex ELISABETHA vxore genuit

ANNAM consortem Gulielmi III. Ducis Saxoniæ.

ELISABETHAM Casimiri Poloniæ Regis coniugem, mortuam A. C. 1504. III. Kal. Septembr.

LADISLAVM Posthumum, Regem Vngariæ & Bohemiæ, in ipso flore, in ipso gloriæ culmine, intra XXXVI. horas postquam ægrotare cœpit, extinctum non sine veneni subministrati suspicione, A. C. 1457. X. Kal. Decembris. Pragæ in monte B. Wenceslai sepultum.

5. LEOPOLDVS II. cogn. Probus, & Militiæ decus, Exarchus Austriæ, Comes Tyrolis: princeps belli studiis peritior, quàm felicior: cum numerosa nobilitate cæsus ab Heluetiis ad Sempachium VII. Id. Quinctiles A. C. 1386. Ex VIRIDE Bernabouis Insubrium Ducis filia genuit

GVLIELMVM cogn. Ambitiosum, Exarchum Austriæ, victoria de Saracenis in Syria nobilitatum, ἄπαιδα defunctum, & Viennæ in basilica S. Stephani sepultum A. C. 1407.

FRIDERICVM Comitem Tyrolium, à Sigismundo Cæsare in Concilio Constantiensi proscriptum: mortuum A. C. 1440. vnico superstite filio ex ANNA nata Friderici Ducis Brunsuigii,

SIGISMVNDO Exarcho Austriæ, Comite Tyrolis: qui de Venetis duas nobilissimas reportauit victorias decennio ante obitum: qui ipsi contigit A. C. 1497. ætatis suæ LXXI. ex binis vxoribus, LEONORA Iacobi Scotorum Regis, & CATHARINA Alberti Saxoniæ Ducis filiabus, nulla suscepta sobole. In Stains cœnobio iuxta patrem sepultus.

Ernestum Ferreum, stemmatos propagatorem.

LEOPOLDVM III. cognomento Superbum & Crassum, Landgrauium Alsatiæ: qui cum fratribus ob hæreditatem paternam diuturnum gessit bellum: quo sopito, arma in Heluetios conuertit, necem paternam vlturus: quibus cum ad Glaronam varia fortuna conflixit. Ex fistula pedis decessit X. Kal. Iunii A. C. 1412. ἄπαις. Vxor CATHARINA Philippi Audacis Ducis Burgundiæ F.

AGNETEM vxorem Boleslai, vltimi Ducis Suiduicensis in Silesia.

6. ERNESTVS Ferreus, Exarchus Austriæ, Styriæ & Carinthiæ: militauit Ruperto Cæsari in Italia: vbi à Ioanne Galeacio Mediolanensi repulsus, reliquum vitæ domi confecit in quiete, procul omni ambitione atque tumultu. Tumulatus in cœnobio Rhayn A. C. 1435. MARGARETA Ducissa Stetinense defuncta; secundis nuptiis iunctus est ZIMBVRGI, Ziemouiti Ducis Masouiæ filiæ: qua nati

Fridericus III. Imp.

ALBERTVS VI. Exarchus Austriæ, Conditor Academiæ Friburgensis in Brisgonia: à Ladislai Vngariæ Regis obitu, Friderico Imp. totam hæreditatem sibi soli vendicante, pessimis hic consultoribus nimium obsequens, cum fratre ad mortem vsque & simultates

aluit, &

aluit, & parricidiale gessit bellum. Viennæ fato sublatus IV. *Non. Decemb. A.C. 1463.* ἄπαις. *Ibidem sepultus. Vxor* MECHTILDIS, *Ludouici Electoris Palatini F. relicta Ludouici Wirtembergii.*

MARGARETA vxor Friderici II. Saxoniæ Electoris, obiit A.C. 1486.

CATHARINA consors Caroli Badensis Marchionis.

ELISABETH Comiti Wirdenbergio sociata.

7. FRIDERICVS III. Magnus Dux Austriæ, Styriæ, & Carinthiæ, communi Electorum voto Cæsar designatus: motibus Austriacis sedatis, Romam placidè profectus, à Pontifice Nicolao V. cum maxima solennitate consecratus est. Pacis omni vita fuit amantissimus: cuius tuendæ studio nihil antiquius habuit: à bellis autem cùm natura, tùm ob iniquitatem fortunæ, quam aduersam experiebatur, abhorruit. Multa tamen per alios bella feliciter confecit. Diarrhœa tandem absumptus expirauit A.C. 1493. XIV. Kal. Septembris ætatis suæ LXXIIX. quo eodem die olim Augustus quoque Cæsar, quî cum non pauca habuit communia, obiit. Augusto siquidem annis duobus fuit maior: & ab eodem tribus in Imperio annis est superatus. Cæteroquin Fabio Maximo, quàm Scipioni fuit propior: multa ponens in cunctatione, non in celeritate rei conficiendæ. Sepultus Viennæ in æde D. Stephani. Ex vxore LEONORA Eduardi Regis Lusitaniæ F. quæ diem obiit III. Non. Septemb. A.C. 1467. liberos superstites reliquit duos:

Maximilianum I. *IMP.*

CVNEGVNDEN *Alberti Ducis Bauariæ coniugem, Monachii sepultam.*

8. MAXIMILIANVS I. Imp. Romanorum, Magnus Dux Austriæ, Styriæ, & Carinthiæ: princeps in omnium virtutum genere conspicuus, magnus bello, multis victoriis de Gallis, Eburonibus, Batauis, Morinis, Hungaris, Bohemis, Heluetiis, Boiis, inprimis autem Venetis, clarus & nobilitatus: obiit sexagenarius in oppido Austriæ Welsa, pridie Id. Ianuarii A. C. 1519. Sepultus Neapoli. Liberos genuit ex MARIA Caroli Burgundiæ Ducis F. vxore prima

Philippum Ducem Burgundiæ, Regem Hispaniæ.

FRANCISCVM in pueritia extinctum.

MARGARETAM post duorum maritorum, Ioannis Hispani, & Philiberti Sabaudi, obitum factam Gubernatricem Belgici: vbi diem suum obiit Mechliniæ Kal. Decemb. A. C. 1530. ætatis suæ LII.

9. PHILIPPVS Rex Hispaniæ, Magnus Dux Austriæ & Burgundiæ, patrem morte præuertit VII. Kal. Octob. A.C. 1506. Granatæ, annos natus XXIIX. Ex vxore IOANNA F. Ferdinandi Catholici Regis Hispaniæ duos mares, quatuor fœmellas genuit: quorum

CAROLVS V. *Rex Hispaniæ, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ longè potentissimus, post acres in summo illo Imperii senatu disputationes, magno omnium suffragio* IMP. *declaratus: & more solenni Aquisgrani inunctus: cum summa fuit potestate annos* XXXVII. *Princeps iustissimus, fortissimus, clementissimus, & rerum gestarum gloria clarissimus: plurimis & maximis in Africa & Europa victoriis, de Saracenis, Turcis, Mauris, Taurinis, Salassis, Gallis, Italis, nec non Germaniæ principib. fœderis Schmalcaldici sociis, nobilitatus. Defunctus placidè in Hispania* XI. *Kal. Octob. A.C. 1558. ætatis suæ* LIX. *Ex* ISABELLA *vxore, Emanuelis Lusitaniæ Regis F. quadragenaria defuncta Kal. Maii A. C. 1539. suscepit*

PHILIPPVM Regem Hispaniæ & Portugalliæ, multis & ipsum bellis in Gallia, Anglia, Belgio, Lusitania clarum: natum in valle Toleti XII. Kal. Iunii A. C. 1527. Quatuor eius memorantur vxores: MARIA Ioannis Lusitaniæ Regis F. MARIA Angliæ Regina: ELISABETHA Henrici Galliæ Regis nata: & ANNA è sorore sua neptis, F. Maximiliani II. Imp. His nati

CAROLVS *Dentatus, Princeps Hispaniæ, mortuus A.C. 1568.* IX. *Kal. Sextilis, ætatis suæ* XXIII.

FERDINANDVS *natus A.C. 1571. pridie Non. Decembris.*

IACOBVS *nouennis extinctus A.C. 1582.* XI. *Kal. Decemb.*

PHILIPPVS *natus A.C. 1578.*

CAROLVS LAVRENTIVS.

FERDINANDVM in infantia extinctum.

MARIAM Maximiliano II. Imperatori } nuptas.
IOANNAM Ioanni IV. Lusitaniæ Principi } nuptas.

V

ELEONORA primo Emanuelis Lusitani, post Francisci Galliæ Regis uxor, obiit IV. Non. Septemb. A.C. 1558.

ISABELLA consors Christierni II. Daniæ Regis obiit A.C. 1525. XIV. Kal. Februarii.

MARIA nupsit Ludouico Regi Pannoniæ.

CATHARINA elocata Ioanni III. Regi Lusitaniæ.

FERDINANDUS Rex Pannoniæ & Bohemiæ, Carolo fratre sponte sua Imperatoriam dignitatem deponente, ipsi in Imperio suffectus omnium Electorum consensu: rei summam tulit summa dexteritate, annis fermè septem. Tabe catarrhali extinctus Viennæ IIX. Kal. Sextil. A.C. 1564. ætatis suæ LXI. Princeps sapientissimus & religiosissimus, pacis concordiæq; publicæ studiosissimus, literarum & literatorum hominum amantissimus. Ex ANNA, Ludouici Pannoniæ Regis sorore germana quindecim suscepit liberos: quorum nouem ad iustam peruenere ætatem:

ELISABETHA uxor Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, Vilnæ defuncta XVII. Kal. Iulii A.C. 1545. ætatis suæ XIX.

MAXIMILIANUS II. ex Rege Hungariæ, Bohemiæque Rex Romanus inauguratus: ac deinceps viuo parente Imperator salutatus: post rei summã duodecim annis dexterrimè administratam, Ratisbonæ in Comitiis animam Deo reddidit IV. Id. Octob. A.C. 1576. Princeps sapiens, iustus, moderatus, animo verè paterno de publica salute ac pace perpetuò solicitus. Ex MARIA Caroli V. Cæsaris F. reliquit

RUDOLPHUM II. Imp. Rom. Regem Ungariæ & Bohemiæ natum XV. Kal. Augusti A.C. 1552. De cuius gubernatione nihil addendum putamus: hoc tantum precamur, ut ipse Imperatoria sua maiestate ad gloriam Dei, Ecclesiæ Reiq; publicæ salutem utatur.

ERNESTUM Exarchum Austriæ, natum XVII. Kal. Iulii A.C. 1553.

ANNAM Philippo Hispaniarum Regi, suo auunculo, elocatam: mortuam IIX. Kal. Nouemb. A.C. 1580. vitæ suæ XXVI.

ELISABETHAM consortem Caroli IX. Celtarum Regis.

MATHIAM Exarchum Austriæ, natum VI. Kal. Martii A.C. 1557.

MAXIMILIANUM Exarchum Austriæ natum XV. Kal. Nouemb. A.C. 1558. Magister hic ordinis Teutonici creatus; neque ita multo post cum Sigismundo Sueciæ Principe Poloniæ Rex est electus A.C. 1587.

ALBERTUM Exarchum Austriæ natum Id. Nouemb. A.C. 1559.

WENCESLAUM Exarchum Austriæ natum A.C. 1561. VII. Id. Martii.

LEONORAM Pragæ mortuam, minorennem A.C. 1579.

ANNA elocata Alberto Duci Bauariæ A.C. 1546.

FERDINANDUS Exarchus Austriæ, Comes Prouincialis Alsatiæ, Tyrolis & Habsburgi natus Lincii XIIX. Kal. Quinctil. A.C. 1529.

MARIA nupsit Gulielmo Duci Iuliacensi & Cliuensi A.C. 1546.

CATHARINA nupsit Sigismundo Augusto Regi Poloniæ & inde Francisco Gonzagæ Duci Mantuæ & Montisferrati.

LEONORA consors Gulielmi Gonzagæ Ducis Mantuani.

BARBARA sociata Alphonso II. Duci Ferrariæ.

CAROLUS Exarchus Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Comes Tyrolis & Goriciæ, natus III. Non. Iunii A.C. 1540. ex uxore MARIA Alberti Ducis Bauariæ F. genuit

FERDINANDUM Ducem Austriæ.

Filias quatuor, ANNAM, CATHARINAM, MARIAM, ELISABETHAM.



FAMILIARUM INDEX.

Camil-

CASP. VRSINI VEHLII
Silesii Monosticha
De Illustribus Heroibus Reipub. Romanæ.

REGES ITALIÆ.

Primus in Italia IANVS *regnauit agresti:*
Aurea SATVRNVS *iugera falce colit.*
Tertius Ausoniis dominatur PICVS *in oris:*
FAVNVS *& in Latio regna paterna capit.*
Filia Laurentûm Regi fuit vna LATINO*:*
Dos fuit ÆNEÆ *terra Latina pio.*

REGES ALBANI.

Condidit ASCANIVS *Longam Rex* IVLIVS *Albam:*
Tu SYLVI *regnum* POSTHVME *frater habes.*
SYLVIVS ÆNEAS *triginta vno imperat annis:*
Perq; decem sceptrum lustra LATINVS *habet.*
Imperat Albanis successor SYLVIVS ALBA*:*
Dictus ab Aegypti nomine regnat ATYS.
Rex vrbem accepto Capuam CAPYS *omine dixit:*
CAPETVS *tantùm nomina Regis habet.*
Albula mutauit titulum tibi rex TIBERINVS*:*
Hic pater Agrippæ rex & AGRIPPA *fuit.*
Præsidio insuetos colles muniuit AREMVS*:*
Iulia gens, vester IVLIVS *auctor erat.*
Præbet AVENTINVS *Romano nomina monti:*
Perq; vices regnum dat PROCA *pignoribus.*
Germano regnum violentus AMVLIVS *aufert:*
Arripit hinc NVMITOR *sceptra nepotis ope.*

REGES ROMANI.

ROMVLVS *aggreditur regnum, qui condidit vrbem:*
Prima REMVS *quoniam mœnia transit, obit.*
At NVMA *diuinis impleuit cultibus vrbem:*
TVLLIVS *inuentis fascibus arma ciet.*
ANCVS *Auentinum montem superaddidit Vrbi.*
PRISCE *triumphali primus honore tumes.*
TVLLIVS *inuenit censum, Vulcania proles:*
TARQVINIVS *Sexti crimine pulsus abit.*

CONSVLES ROMANI.

Fit COLLATINVS*, violata coniuge, Consul:*
Regibus exactis pignora, BRVTE*, necas.*
Tibridis armatus tranauit HORATIVS *vndas:*
Vssit in hostili MVTIVS *igne manum.*
PORSENA *te stupuit superasse Chloëlia Tibrim:*
Tot Cremeræ FABII *succubuere Duces.*
PVBLICOLA *immeritis posuit sua tecta ruinis:*
POSTHVMIVS *frenos detrahit* AVLVS *equis.*

QVINCTIVS obsessi sit Consulis ipse redemptor:
Conciliat plebi MEMNIVS ore Patres.
Et CORIOLANVM lacrymosa VOLVMNIA flexit:
Plebs meruit fasces ferre, STOLONIS ope.
Occidit natam VIRGINIVS, APPIVS auctor:
Vela VOLVMNI anguis sola salubris adit.
Postrauit Gallos Dictator in Vrbe CAMILLVS
Hos Capitolinus MANLIVS arce fugat.
Iuppiter à COSSO spoliis celebratur opimis:
Pro patria DECIVS victima sponte cadit.
More patris DECIVS deuouit manibus vmbram:
TORQVATI natum iussa dedere neci.
CORVINO palmam tribuit cum nomine Coruus:
Hostes sub cogit PONTIVS ire iugum.
Perdere vult FABIVM pugnare PAPIRIVS ausum:
Esse RVTILIANVS Censor item renuit.
Dum torret rapum, DENTATVS despicit aurum:
APPIVS à leso numine cæcus abit.
Explorat scapha Africanos APPIVS audax:
FABRICIVM, vt Solem, flectere PYRRHE potes.
Dextra ratem tenuit Tyriam ferrata DVILLI:
Sicilia Pœnos Dux CALATINE fugas.
REGVLVS ad Pœnos rediens, cruciatur in arca:
Punica stat meritis pompa, METELLE, tuis.
Aeger ad interitum duxit LVCTATIVS Afros:
HANNIBALEM fregit MAXIMVS arte moræ.
Optimus hospitio recipit NASICA Cybelen:
MARCELLVS Romæ CLAVDIVS ensis erat.
PORTIVS Hispanos bellis attriuit auarus:
Fert caput HASDRVBALIS fratris in ora NERO.
AFRICA cui nomen dedit, Vrbi denegat ossa:
Gens SALINATORI paruit Illyridos.
FLAMINIVS vasta percussit clade PHILIPPVM:
FVLVIVS Aetolos NOBILIOR domuit.
CVRTIVS, ob patriam, terræ compleuit hiatum:
Conatus GRACCHI LENTVLVS ense premit.
Fert Asiæ, ANTIOCHO deuicto, SCIPIO nomen:
In Gallogræcos MANLIVS arma mouet.
Tradidit ÆMILIO Macedonia victa triumphum:
Venales Sardos GRACCHVS in Vrbe dedit.
ÆMILIANE tibi deuicta Numantia cessit:
MANCINI extinxit res malè gesta decus.
MVMMIVS expoliauit Achaicus are Corinthum:
Nomina dat Macedûm terra METELLE tibi.
Dant patri titulum Numidarum bella METELLO:
Appellat natum cura paterna PIVM.
Edita lex Tiberi submersit Agraria GRACCHVM:
Lex eadem CAIO perniciosa fuit.
Pompa Iugurthini MARIO fuit alta triumphi:
FILIVS ante diem Consul in Vrbe fuit.
DRVSVS in Assyria despexit signa superbus:
CINNAq; Ianiculum seditiosus habet.
FIMBRIA conceptis insignibus Ilion vrit:
Prælia VIRIATI territa Roma tulit.
ÆMILIVS posuit pontem de nomine SCAVRVS:
Fert SATVRNINVS noxia iura ferox.

Vulnera discissis tunicis ostendis AQVILI:
*C*ÆPIO *pro elata prosperitate cadis.*
Fœnora, mactatur, dum Prætor ASELLIVS *arcet:*
CRASSVS *apud Smyrnam turpiter ictus obit.*
Victor ARISTONICI, *caruit* PERPENNA *triumpho:*
Accessit laudi CRETICE *Creta tuæ.*
LONGINVS *Rhodanum Gallorum sanguine tinxit:*
Dux se CALVINO *victus subigit.*
SYLLA *necat* MARIOS *priuatus, & omnia vertit:*
Lubrica SERTORI *iura Senatus habet.*
Dardanios vincens, SCRIBONIVS *attigit Istrum:*
Seruili in Tauro pes prior egit iter.
Liberat, extincto CATILINA, TVLLIVS *Vrbem:*
Pontica, LVCVLLO *vindice, regna cadunt.*
Prælia LVCVLLVS *Macedonica suscipit alter:*
CRASSVS *apud Parthos more prioris obit.*
Bis domat vndenos POMPEII *dextera reges:*
Vtica tu rigidi fata CATONIS *habes.*
IVLIVS *Imperium asseruit, mox occupat vnus:*
AVGVSTVS *solus Cæsar in orbe regit.*



CÆSARES ROMANI ITALICI.

OCcupat *Imperium* CÆSAR *ciuilibus armis:*
AVGVSTVS *parta pace quietus obit.*
CLAVDIVS *antè pecus* NERO *tondet, & opprimit inde:*
Omne scelus CAIVS *flagitiosus amat.*
Temperat Imperium tranquillè CLAVDIVS *alter:*
Matricida NERO *dissipat Vrbis opes.*
Induitur tantùm semestris purpura GALBÆ:
Mollis item paruo tempore regnat OTHO.
More Neronæo regnare VITELLIVS *audet:*
Iustitiam fortis VESPASIANVS *amat.*
Deliciæ humani generis TITVS *imperat orbi:*
Degener hinc fratris sceptra TYRANNVS *habet.*
NERVA *bonus sese ciuilem præbuit Vrbi:*
TRAIANO *melior Principe nemo fuit.*
HADRIA *cui nomen dedit, ipsum circuit orbem:*
Sunt ANTONINI *gesta benigna* PII.
Cum genere sapiens egisti MARCE *triumphum:*
VERE *prior socero deliciose peris.*
CASSIVS *attentat regnum, sed dicitur hostis:*
COMMODVS *Imperium sic gladiator habet.*
ÆLIVS *accepit vix sceptra, iubente Senatu:*
SALVIVS *inuadit, perdit & Imperium.*
Sæuus, auarus erat, sed felix Marte SEVERVS:
Vincitur ALBINVS, *vincitur inde* NIGER.
Fratricida minax, petulans CARACALLA *superbit:*
Nam GETA *germani publicus hostis erat.*
Cum DIADVMENO MACRINVS *nomina sumsit:*
Antoninorum qui periêre cito,
Semiamira facit VARIVM *Mesana tyrannum:*
Iustus ALEXANDER, *fortis, honestus erat.*
GORDIA *Cæsaribus luget gens clara duobus:*
Filius occumbit vulnere, fune pater.

MAXIMINE

Maximine furis contemptor, barbarus, asper:
Fadillæ coniux filius huius erat.
Te Pupiene creat, sic te Balbine Senatus:
Hi cum Gordigena sceptra nepote ferunt.
Aula necat geminos, puerosq́ reseruat habenas:
Iste Philipporum fraude puer cecidit.
Annus ab his celebratur item millesimus Vrbis:
Aedificant Decii lauta lauacra duo.
Cum nato Gallus simul imperat Hostilianus:
Regna quibus victis Æmilianus habet.
Dat Licinus regi Persarum colla Sapori:
Publica Galienus lora relaxat iners.
Posthumius tandem occiduos reparauit honores:
Regna duos Marii vix habuere dies.
Mox Victorino Gallorum purpura cessit:
Burdegala Tetricus Cæsar in vrbe fuit.
Sic Odænatus partes moderatur Eoas:
Galieno extincto, Claudius eligitur.
Succedis fratri paucis Quintille diebus:
Dace per arma ferox Aureliane ruis.
Septimius Daco Cæsar regnante necatur:
Sex tenuit Tacitus mensibus arma senex.
Imperio frater gemino vix mense potitur:
Cæsareum Firmum cusa moneta docet.
Saturninum Oriens cogit regnare timentem:
Lugduni Augustum scurra vocat Proculum.
Hos Probus, & bibulum deleuit Marte Bonosum:
Mox meruit carus patribus esse Carus.
Filius Imperio dignus mactatur ab Apro:
At patris indignus sceptra Carinus habet.
Qui posito Imperio concessit sponte Salonam,
Te priùs in socium, Maximiane, capit.
Hos quum priuatos vidit Constantius ambos:
Cum socio regimen diuidit Imperii.
Defuncto timuit superesse Galerius illo:
Rursus & Herculium, teq́ Severe, vocat.
Imperat & fuso Maxentius Vrbe Severo:
Hunc Constantinus vicit apud Tiberim.
Diceris Augustus Licini pro mente Galeri:
Alter apud Tharsum Maximianus obit.

CÆSARES ROMANI BYZANTINI.

Delesti solus tres Constantine tyrannos:
Quattuor hæredes solus & ipse facis.
Constantinus, Constans, & Constantius, *hi cum*
Dalmatio *Imperium dilacerare student.*
Vnicus inde duos Constantius iste tyrannos
Dissipat: vnum habuit Nursia, Roma alium.
Collegam Gallum, & Galli fratrem, patrueles
Accipit: extremum Parthica bella necant.
Particulam Imperii tribuis Ioviane Sapori:
Procopium sensit Roma secunda parum.

Adscito sibi fratre VALENTE VALENTINIANVS
Imperat, Augustum nuncupat & puerum.
Relligiosus erat, tribuit cui GRATIA *nomen:*
Consortem fratrem qui iubet esse suum.
Bella THEODOSIVS *Christo victore gerebat:*
MAXIME *tela probans ista tyranne cadis.*
Hac etiam EVGENIVS *vitalia spicula sensit:*
ARCADIVS *Graia regnat in vrbe puer.*
Occiduam frater defendit HONORIVS *aulam:*
GRATIA *cui nomen, gesta Britanna necant.*
Huic CONSTANTINVS *succedit nomine Vanus:*
Filius è monacho Cæsar ad arma volat.
Missus ab Augusto CONSTANTIVS *enecat ambos:*
Exul in Hispano MAXIMVS *orbe perit.*
Assurrexit apud Gallos, ceciditq́; IOVINVS*:*
Continuò electus frater & ipse cadit.
Attalus est trunca tibi dextra oblatus, HONORI*:*
Mox apud Hispanos MAXIMVS *alter obit.*
Sceptra THEODOSIVS *patruo moriente tenebat.*
Castini auxilio regna Ioannis erant.
Hunc vicit placida cum morte VALENTINIANVS*:*
Fractum Atilæ hic arcum somniat, & socios.
Dorica cum nato LEO *sumit regna* LEONE*:*
Inuadit Romam MAXIMVS, *inde cadit.*
Vrbs quoq;, Vandalica vi pressa, creauit AVITVM*:*
Quattuor hinc annis MAIORIANE *sedes.*
Accipit Augustum piscosa Rauenna SEVERVM*:*
Accipit ANTHEMIVS *tradita regna bonus.*
Vis de præfecto fieri GERNANDE *tyrannus:*
ANTHEMIVM RICIMER *trux Gothus ense necat.*
Per septem menses moderatur OLIBRIVS *Vrbem:*
Atq; LEONE ASPAR *cæditur, & soboles.*
Præsul Romano de rege LYCERIVS *exit:*
Regia Gundibaro iura rapina dedit.
Imperat occulti ZENO *collega* LEONIS*:*
Finibus Italiæ AVGVSTVLVS *hunc prohibet.*
Vnica Cæsarei fit Græcia nominis hæres:
Dum fera barbaries occupat Italiam.
Cæsar ANASTASIVS *diuino est fulmine casus:*
IVSTINVS *satagit perdere perfidiam.*
IVSTINIANE *Gothis pulsis das iura per orbem:*
Credita sunt Sophiæ sceptra, furente viro.
Filius insani IVSTINI *Marte coruscat:*
Vtilis Augustus pellitur vrbe gener.
Mactatur PHOCAS*: succedit* HERACLIVS *obses,*
Iste crucem nudis fert Solymam pedibus.
CONSTANTINVS *obit, quarto tùm mense, veneno:*
Hunc Martina facit dira nouerca mori.
Hæc linguam, nasum sed perdit HERACLION *exul:*
CONSTANTI *vrbanas depopularis opes.*
Cæsaris occisor MISSESSVS *& ipse necatur:*
Hinc CONSTANTINVS *iura paterna capit.*
Naribus est exul truncatus IVSTINIANVS*:*
Supplicium dirus pertulit auctor idem.
ABSIMARVS *patrat hoc: luit ista* LEONTIVS *idem:*
Dant reduci pœnas IVSTINIANE *tibi.*

Ene-

Enecat Augustum cum prole PHILIPPICVS *audax:*
Orbat ANASTASIVS *quem quoq; luminibus.*
Sceptra THEODOSIVS *rapuit, pulsusq; reliquit:*
Et LEO *deletis errat imaginibus.*
CONSTANTINVM *animo leprosum, & corpore liquit:*
Huic LEO *successit deliciosus homo:*
Filius IRENEN *prohibet regnare parentem:*
CONSTANTINVS *enim flagitiosus erat.*
Imperat IRENE *rursum, genitumq; peremit:*
Tradere NICEPHORO *sceptra coacta dolo.*
Mensibus inde tribus STAVRATIVS *est patris hæres:*
Segnis ab imperio sponte MICHAEL *abit.*
Huic LEO *suffectus: repetit mox sceptra* MICHAEL:
Sub quo diuisum redditur Imperium.
Diuiso Imperio, proles male tuta LEONIS,
ROMANO *vitam sceptráq; Graia dedit.*
NICEPHORVS *cædit generum, qui nollet,* OTHONEM;
Augustale nihil gesta IOANNIS *habent.*
Cum CONSTANTINO *Syriam Germanus ademit:*
Et Saracenis Gnosia regna feris.
Daunos & Calabros sceptro CATHALAICVS *addit:*
Coniuge cum ZOE *regnat Etheriacis.*
Et CONSTANTINI *ignaui morientis habenas*
Temperat autumnos per THEODORA *duos.*
Ascendit solium regale NOVITIVS *armis:*
ISACIVS *pepulit, pulsus & ipse fuit.*
Marte DIOCLI *sinum benè gesto laurea cingit:*
Cingit & hoc functo laurea DIOGENEM.
Pellitur, & tandem regnat cum prole MICHAEL:
Quam vim NICEPHORVS *intulit, ipse tulit.*
Plurima perpessis certamina vicit ALEXIS:
Graia CALOIANEM *sufficit aula patri.*
Inuidus EMMANVEL *Veneti ducis agmina sentit:*
Perfidus EMMANVEL *semina fraudis amat.*
Pupillum æquoreis ANDRONICVS *obruit vndis:*
Nec tibi, nec regno tutor, ALEXI, *tuo.*
Cæcus ab ingrato germano clauditur ISAAC:
Arripit obsessa frater ab arce fugam.
Cum patre de laqueis ducto dominatur ALEXIS:
MVRTILLVS *propriis strangulat hunc manibus,*
BALDVINVM *proceres ornant diademate Cimbri:*
Occiduo fratri purpura Græca datur.
Græculus est solo Cæsar sub nomine COMO:
Sed PETRVS *Argolicis iura dabat populis.*
Captiuo regit hos IOLES *Augusta marito:*
RVPERTVS *regimen morte parentis habet.*
MARTHA *viro potuit* BRENNVM *præferre parentem:*
BALDVINVS *socero præmoriente regit.*
Hunc fera debilitant THEODORI *bella Pelasgi:*
Græcus obit: nati iura tulere duo.
BALDVINO *necat hos pulso* PALEOLOGVS *ambos:*
Iste Latinorum finis apud Danaos.
Postquam restituit Graiam PALEOLOGVS *aulam:*
Filius Imperium per duo lustra tenet.
Vi CATACVSINVS *grassante tyrannide regnat:*
Læta CALOIANIS *Thracia fit reducis.*

Protegis inuicto genitore ANDRONICE *Peram:*
Græcia Catholica est facta IOANNIS *ope.*
Imperio fratrem Turci spoliastis & auo:
Iam meus hoc genitor tempore natus erat.



IMPP. TVRCICI.


OCcasum *pulsat bellis* OTHOMANNVS *ab ortu:*
Et duo viginti regna dedit soboli.
ZIZIMVS, *effugiens fratrem, captiuus in vrbe est:*
Frater iners auro commoda pacis emit.

REGES ITALICI GOTHI.

EXtincto *Imperio Scytha Rex* ODOACER *in Vrbe est:*
Hinc THEODORICVS *regnat in Italia.*
Accipit & regnum ATTALARICVS *deinde Latinum:*
Rex AMALAZANTAM *trux* THEODATE *necas.*
VITIGIS *expleuit de Rege* PATRICIVS *æuum:*
HELDEBADVM *regem substituere Gothi.*
Nec tamen expleto iugulatur HECATIVS *anno:*
Post annos perdit sceptra TOTILLA *decem.*
A Narsete cadit victus certamine TEIAS:
Tot reges, quot habes carmina, cerne Gothos.

REGES ITALICI LONGOBARDI.

TEmpore *quo Gothici cessauit gloria regni:*
Longobardorum Rex capit Italiam.
Romani fugiunt cæsi sub CLEPE *tyranno:*
Tradita triginta est publica res Ducibus.
AVTHARIS *Exarcho inducias donauit, & vrbi:*
THEVDELINDA *virum, qui regat, vna legit.*
Rex ADOALDVS *obit defuncta matre sepultus:*
Successor pacem dat tibi Roma diu.
Rex pacem hæreticus detraxit ROTHARIS *Vrbi:*
Hinc ODOALDVS *obit casus adulterio.*
PERTHARIS *extruxit Ticini templa bonus vir:*
Quo CVNIPERTVS *cum patre sceptra gerit.*
LINDPERTVM ASPRONDI *victi tutela peremit:*
Nam RAGNIPERTVS *sceptra tyrannus habet.*
Nec tamen in tuto te RHOTARI *Lauda recepit:*
Regnat ARITHPERTVS, *qui necat ense duos.*
Vicit ARITHPERTVM ASPRONDVS *cum gente Bauara:*
Partaq; LINDPRANDO *iura paterna dedit.*
HILPRANDI *insedit regali cuculus hasta:*
RACHISIO *terror ominis arma tulit.*
Frater ARISTVLPHO *regnum dedit, & monachus fit:*
In DESIDERIO *sceptra suprema cadunt.*



CÆSARES ROMANI GERMANICI.

MAGNVS *in Occiduo dominatur* CAROLVS *orbe:*
Perdomuit fratres filius inde PIVS.

Vincla patri posuit, sacra templa LOTHARIVS *intrat:*
In solio monachus stas LVDOVICE *patris.*
CALVVS *adest, geminis qui iura nepotibus aufert:*
Caluigenam BALBVM *sumpta venena necant.*
CRASSVS *ab illustri spoliatur inutilis aula:*
ARNOLPHVM *proceres substituere malum.*
Filius Arnolphi victus priuatur ocellis:
Longobardorum sunt data regna duci.
Cæsar apud Gallos CONRADVS *nomine regnat:*
HENRICVS *Arctoi Saxonus orbis honor.*
Et velut Augustus Latium regit inclytus HVGO:
Fama BERENGARIOS *computat vna duos.*
Martia Romano potitur Germania sceptro:
Tempore quo proles Graia Leonis obit.
Colla BERENGARIVS *primo submisit* OTHONI:
Fertq; secunda minùs bella Secundus OTHO.
TERTIVS *extinxit Crescentis Consulis ausum:*
HENRICE *deligeris Bauare more nouo.*
Strenuus Illyricos domuit CONRADVS, *& Hunnos:*
Optimus in syluis HENRICVS *ortus erat.*
TERTIVS *imposuit crudelia vincla parenti:*
Intulit obsesso QVARTVS *& arma Patri.*
Arma Bohemorum conflata LOTHARIVS *arcet:*
CONRADVS *frustrà tendit in Assyrios.*
Pressit Alexander FRIDERICI *colla superbi:*
Dat natus multis funera præsulibus.
Ense capit solium, sed cæditur ense PHILIPPVS:
Dat tibi Roma decus, sons OTHO *Roma fugam.*
Sæuitia infandum superas FRIDERICE *Neronem:*
Nec cedis geminis vipera Cæsaribus.
Landgrauio GVLIELMO *etiam diadema negat mors:*
RICHARDVS *facto schismate regna capit.*
Hæc capit ALPHONSVS; *riuali sed moriente,*
RVDOLPHO *precibus Præsulis illa dedit.*
Cæsus ab ALBERTO *superatur Cæsar* ADOLPHVS:
Intulit ALBERTO *funera dira nepos.*
HENRICVS *Italiæ pacauit Septimus vrbes:*
Dissona pars procerum te FRIDERICE *legit.*
Altera Schismaticum LVDOVICVM *secta creauit:*
CAROLVS *Augusti iura Bohemus habet.*
Sede VECESLAVS *patria cadit irritus orbi:*
Carpis ab Insubrum clade ROBERTE *fugam.*
Cura SIGISMVNDI *labefactum corrigit orbem:*
ALBERTO *indignus Cæsare mundus erat.*
Thesauros cumulat FRIDERICVS *inutilis armis:*
Clarus erat belli NATVS *& arte togæ.*
CAROLVS *Hesperiis regnat,* FERNANDVS *Eois:*
Quàm benè diuisum est fratribus Imperium!
MAXIMVS *Imperii sacras tenet Alter habenas:*
Imperium, functo Patre, RVDOLPHVS *habet.*

FINIS.

